



# **De veris, et visibilibvs Ecclesiæ Catholicæ notis, tractatio.**

<https://hdl.handle.net/1874/424833>


DE VERIS,  
ET VISIBILIBVS  
Ecclesiae Catholicae  
notis, tractatio.



THEODORO BEZA  
*Vezelio auctore.*

ANCHORA

SACRA.



GENEVAE,  
APVD EVSTATHIVM VIGNON.  
M. D. LXXIX.

U. S. DEPARTMENT OF THE INTERIOR

Geological Survey

Washington, D. C.

1880

REPORT OF THE

Geological Survey



OF THE

Geological Survey



DE VERIS ET VISIBI-  
libus Ecclesie Catholicae notis,  
tractatio.

THEODORO BEZA VEZELIO  
auctore.



Væritur hodie de Ecclesie  
notis & auctoritate, quæstio-  
ne ab iis exorta, qui quum er-  
rores suos ex Dei verbo refel-  
li vident, Ecclesie nomen sacrosanctum  
imperitis rerum istarum obtédunt, & ac-  
cumulatis veterum aduersus hæreticos cer-  
taminibus, nos in inuidiam vocant, quasi  
tum verbi diuini tabulas corruerimus, tum  
omni Ecclesie auctoritate violata, Dona-  
tistarum exemplo, altare contra altare ere-  
xerimus: quasi denique, quia iugum Baby-  
lonis excussimus, Ecclesiam deseruerimus:  
extra quam tamen (nobis ipsis confitenti-  
bus) nulla sit salus. Neque verò hæc sophi-  
a.ij.

stite imperitos duntaxat à cognitione veritatis arcet, verum etiam facit, vt quidam ex iis quoque vacillēt qui firmissimi videbantur. Quinetiam hac occasione non pauci media quaedam consilia ineunt, & sicut in dogmatibus lucem cum tenebris, sic etiam in vera Ecclesia dignoscenda adulterinas notas cū veris ac genuinis permiscere student. Atqui nisi vltro falli velent homines, facillimè posset istorum dolus agnosci & deuitari. Prius enim quā sit Ecclesia quari oportuit, quā de ipsius auctoritatis finibus definiendum: quē ordinem qui non sequuntur, admittunt certè crassum illum & flagris dignum errorem, quem Petitionem principij appellant. Age igitur quid istis sit Catholica Ecclesia dispiciamus.

Ecclesia prius definiēda quā de ipsius auctoritate querendum.

Catholicā Ecclesiam non rectè dici omnē certum in quo sit Episcoporum successio.

Contendunt isti certè, quicquid dissimulēt, Ecclesiam in qua nobis sit perstandum si salui esse volumus, esse Episcoporum cœtum, quorum nomē clatura ab Apostolis ipsis repetatur. Nos successione istam merè personalem dicimus neque esse Ecclesiam, neque quicquam ad istos pertinere.

Episcoporum ordo

Ecclesiam non esse primū ex eo veli-  
p̄tis

phis pueris liquere potest, quòd Ecclesia  
propriè accepto nomine certum sit non  
tantum pastores, sed etiã greges compre-  
hendi: sit autè planè ridiculum velle Par-  
tem vt Totum ipsum definire, quoniam  
alioqui totum & pars vnum & idem essèt.

non est Ec-  
clesia.

Excipiunt sese cum pastoribus ipsos eti-  
am greges illis adhærètes intelligere. At-  
qui hoc quoq; ridiculum est, quò & here-  
tici ac apostatae pastores, orthodoxis pasto-  
ribus, & hæretici greges veris ouibus pos-  
sint succedere: & interdù hæretici quidem  
sint pastores, oues autè verè, & contrà veri  
pastores hæreticas oues nanciscàtur. Illud  
quum euenit, totam eiusmodi Ecclesiam,  
(etiam si maiores verè Apostolicos habue-  
rit, & consentiant inter se in defectione tũ  
pastores tum greges) tamen penitus falsã  
esse ne ipsi quidem aduersarii negare aude-  
ant, quin hæreticum & catholicũ esse pro  
eodem accipiant. In posteriore autem casu  
falsitas saltem altera in parte deprehendi-  
tur, quamuis vtrinque personalis illa suc-  
cessio comperiat. Ergo neque ipsa per se  
successio personarum, neque consensus i-  
stiusmodi, veram Ecclesiam necessariò ar-  
guit, quò & vbi vtrumque inuenitur, Ec-

Consen-  
sus Episco-  
pi, & gre-  
gis non se  
per est ve-  
ræ Eccle-  
siaz nota.



clesia tamen interdum sit falsa: & ibi vera esse aliquatenus possit Ecclesia, vbi vel pastor ab ouili, vel ouile à pastore dissentit. Exemplis autē & præteritis & presentibus probari ista nimium sæpe euenisse nemo, vt arbitror, inficiabitur.

Catholicū  
& Romanū  
idem  
non sunt.

Sed rursū aiunt se non agere de particularibus Ecclesiis, quas posse deficere concedunt, sed de illa catholica siue vniuersali, quæ sit fulcrum & fundamentum veritatis. Atenim Catholicum istud quomodo tandem definiunt? In primis, certo loco, vt qui Catholicam & Romanam idē esse velint: deinde multitudine, vt qui nobis paucitatem exprobrent. Qualia sint igitur ista videamus. Sunt autē, nisi fallor, huiusmodi (si iustis argumentandi legibus constringantur). Romana Ecclesia sic docet, plurimi præ paucissimis sic credunt, & sic nobis per manus traditum est. Ergo ista est Catholica veritas. Quis autem est vsq; adeo rationis omnis expers, vt rursū hīc peti principium, & τὸ κενὸς μῦθος pro confesso assumi non videat? Demonstrate igitur, Sophiste, aut saltem probabiliter docete, primū quānam pars sit totū (vt vestram Ecclesiam Romanam vobis concedamus

damus Catholicæ Ecclesiæ vel præcipuum esse membrum) deinde vnde tandem istam Romanam Ecclesiam didiceritis pro perpetua veritatis norma constitutam, & vnde verum id esse, quod maiori numero probatur, hauseritis. Illud certè neque ex veteris, neque ex noui fœderis tabulis vniquam euicetis. Putida enim illa, Super hanc petram ædificauit Ecclesiam meam: Rogauit pro te Petre ne deficiat fides tua: & illud, Pasce oues meas, ter repetitum, apud homines non penitus istarum rerum imperitos ne refutatione quidem amplius indigent. At ex veterum fortasse scriptis istud probabitur. Quasi verò idem sit fidem Romanæ Ecclesiæ (quandiu laude digna fuit) prædicare, atque illam pro Catholica aut Catholicæ perpetua norma statuere. Et quum Ecclesiæ Romanæ nomine (si dicere volunt adulescentes isti quod sentiunt) nihil aliud quàm Episcopum ipsum Romanum intelligant, quæ hæc, obsecro, infamia est decisionem tantæ controuersiæ ab ea sede velle dependere, in qua, testibus ipsorum scriptoribus, tot iam sæculis, non sedisse videatur? F. ipiunt isti, vitis perso-



narum non tolli dignitatem ipsam & auctoritatem sedis, quemadmodum verus fuit Leviticus pontificatus, tum quoque quum à sceleratis & impiis pontificibus occupabatur. Neq; nos verò sentimus ministrorum vitiiis aboleri posse ministerij vel dignitatem vel etiã efficacitatē: (quod isti tamen sentiunt quum libet, vt qui suã illam transsubstantiationē à suorum sacrificulorum intētionē, fūne certē valdē putri, suspendant) sed hoc dicimus, posito istorum principio, Episcopum Romanum esse caput illud quod Ecclesiæ Catholice quasi vicem animę sufficiat, consequi prorsus oportere, vt istud caput sapiat, si volūt omnia eius mēbra, id est, particulares Ecclesias sapere: & vicissim, si illud insaniat, totam Ecclesiam insanire. Insanisse verò à multis iam seculis Romanos pontifices non modò vt priuatos homines, sed etiam in primis vt Episcopos: id est, non modò sceleratissimos omnium hominum penè singulos fuisse (quod isti non possunt iustificari, nisi malint suis ipsorum testimonij conuinci) sed etiam quod ad dogmata nostræ religionis attinet, partim omnē religionem veram neglexisse, partim etiã oppug-

oppugnasse, atq; adeò, (quod ab vno & altero seculo Petrarca scripsit, cuius versus cāmillāt) Romam à mille minimùm annis, templū hæreseos extitisse, & omne prorsus Christi officium quantū in se fuit subuertisse, adeòque sese supra ipsum Christū erexisse (sicuti, interpretibus probatissimis quibusque Græcis ac Latinis aliarum Ecclesiarum episcopis, Apostoli omni exceptione maiores, Ioannes & Paulus prædixerunt) nisi satis adhuc probauimus, probare rursus coram omnibus æquis iudicibus parati sumus. Diuidicetur ergo prius ista cōtrouersia, Sophistæ, quàm isto commētio quasi concessio vobis fundamento vtamini. Sed age, demus tales fuisse Romanos Episcopos, quorū successio tam numerosa ab istis profertur: quis tamen, nisi prorsus amens, idcirco concluderet Episcopū Romanū esse vniuersale caput, cui quisquis adhæreat verum Ecclesiæ Catholicæ membrum sit censendum? Et tamen hæc sunt bellorum istorum hominū captiuncule, qui Catholicum & Romanū vnum & idem esse volunt: quia nimirum scripsit Paulus fidem Romanorum fuisse suis temporibus toto orbe celebratam. At

nos quanto nunc rectius dixerimus illius meretricis fœtorem nō modò terram repleuisse, sed etiam in cælum vsque ascēdisse, & illam Apostoli excellentem *ad veteres Romanos* scriptam epistolam, verè nunc *aduersus Romanos* illorum successores inscribi oportere?

Catholicam Ecclesiam ex multitudi-  
ne cōfessendā non esse.

Veniamus iam ad eos, qui suam illā catholicam Ecclesiam aestimant ex assecrarū numero, ac splendore. Certè si verum isti dicūt, meritò fuerit Christus cum suo grege declaratus ἀποσωτηρῶς, & turba illa fuerit Ecclesia Catholica, quæ toties vociferata est, Tolle, tolle, crucifige eū. Mendax quoque fuerit Apostolus Corinthiis scribens, Videtis, fratres, vocationem vestram: nos non multos esse sapientes secundum carnē, non multos potentes, nō multos nobiles. Denique tum isti digni fuerint de quibus refutandis laboremus, quā plures esse sapientes quàm stultos, aut ratione aut exemplis euicerint. Iam igitur satis liquere arbitror ex illa nuda quā isti iactāt successione non posse veram illā Ecclesiam Catholicam in qua sit permanendum, discerni à falsa, à qua sit necessariò discedendum.

Sed

Sed tamen antequam hūc locum conclu-  
damus, refellendum nobis est argumentū  
quod isti Sophistæ palmariū videri volūt.  
Nam inquit, Patres sic agunt aduersus  
veteres hereticos ex Episcoporum succes-  
sione. Sed rursus quidnā esse potest ista  
captiūcula putidius? Hęc enim illa est pue-  
ris etiā cognita, quam solent Compositi-  
onis & Diuisionis elenchum vocare. Pri-  
mū igitur nego vlli veterum in mentem  
venisse vt episcoporum recensioe utere-  
tur, quin ad Apostolos vsque recurreret.  
Cū nā id verò, nisi vt doctrinæ potius quā  
personarū auctoritas adstrueretur? At isti  
suorum verè Aposcoporum successionem  
nobis opponūt, doctrinæ ipsius Apostoli-  
cæ mentione vsq; adeò præterita, vt de ea  
querere nefarium esse velint, aduersus eū  
qui sese veterib<sup>9</sup> Episcopis successisse pro-  
bet. Obsecro verò quot blasphemiarum  
auctores in præcipuis illis sedibus Antio-  
chena, Alexandrina, Constātinopolitana;  
federunt? Imò quam mihi sedem isti paulò  
nobiliorem dederint, vbi sedem heretici  
aliqui Episcopi non tenuerint? Et quod ad  
Romanam cathedram attinet, à qua isti,  
putrido sanè fūne, Ecclesiam Catholicam

quomodo  
vñ sint suc-  
cessionis  
personalis  
argumēto  
veteres.



suspendunt, in ea sedisse Honorius monothelita, publicè ab vniuersali Sexta Synodo, & priuatim ab altero Romano pontifice Agathone damnatus, & Ioannes vicellimus secundus de animabus malè sentiens, ab ipsa Sorbona itidem damnatus, comperitur: vt Liberium, Vigilium, & Anastasium prætereã, quos video à nõnullis excusari, quamuis istum postremum quoque vt Acatianum Gratianus inter damnatos retulerit 2. dist. 19. Quod si quis obiciat istos ex numero Episcoporum expunctos: ac proinde in illa successionis nomenclatura nõ comprehendi: hoc tamen cogetur nobis concedere, nempe tum saltem interruptã successionem Romanę sedis fuisse, quum isti propterea sint expuncti, (quos tamen ipsi adhuc in suo catalogo recensent) quod ab Apostolica doctrina desciuisset: ex quo consequitur quod rectè ait Tertullianus, nõ ex personis fidem, sed ex fide personas probari oportere. Sed hinc profectò fateor me ineptire. Quum enim de doctrina quaeritur, quid hoc ad Ecclesię Romanę Episcopos attinet, quos tot iam seculis de nulla re minus, quam de doctrina vlla seu vera seu falsa, sed de sua duntaxat tyrannide



nide stabilienda & propaganda fuisse sollicitos, vniuersus Christianus orbis nouit? At istos, inquit, nemo damnauit. Fateor. Quis enim hoc sibi ius arrogasset aduersus illorum Tyrannidem, qui se à nemine esse iudicandos omnibus persuaserant? Itaq; nō interruptio, sed plena iam pridē multisque iam seculis continuata est Romanę successionis à Catholicę verę Ecclesię corpore abruptio. nisi fortasse censent isti minus aliquid esse nihil neque credere neque docere, quàm hereticum esse.

Et, quęso, quæ hæc impudentia est, veritatis dignotionem à successionem velle pendere, quum è contrariò veritatem successionem præire necessario oportere ne isti quidem inficiari possint?

Et isti Sophistæ si temporibus Christi extitissent, ex qua tandē Episcopali successionem veram Ecclesiam agnouissēt? nequaquam certē ex Leviticorum Pontificum nomenclatura, quoniam sacerdotiū istud tū finiebatur, neque successor Aaronis dici potest Christus, quin Iudaismus rursus stabiliatur: quamobrem etiam nō secundum ordinem Leui, sed instar Melchisedeci factus pontifex dicitur. Itaque

Veram doctrinam oportet præire verę successioni.

Ecclesia Christiana temporibus Christi nō potuit ex successionem personarū dignosci.

tunc absque personalis successionis nota Ecclesiam Catholicam agnouerunt sancti: nimirum ex doctrinae propheticae cum Christi ipsius & Apostolorum doctrinae comparatione: quod usque adeo verum est, ut contra nulli minus agnouerint Christum quam qui successioni Pontificiae adhaeserunt. Non est igitur vera vel perpetua Catholicae Ecclesiae nota illa personalis successio. Obiicient isti fortassis rursus, à Levitica successione depulsi, alteram successionem propheticam. Verum ne sic quidem verum dixerint, si in personis ipsis haereant. Neque enim perpetua fuit prophetarum successio sicuti sacerdotum: imò diu, post Malachiam praesertim, fuit abrupta. Opponent etiam nimirum illud, Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei. Sed meminisse vicissim oportuit eundem Christum dixisse, Cauete à fermèto Phariseorum: ac proinde illo Christi dicto nos non ad personarum, sed ad doctrinae successionem reuocari.

Sed aliud habeo praeterea magis (ut ipsi loquuntur) peremptorium quod respondeam, aduersus illud in quo isti sese patrum in dignoscenda Ecclesia auctoritatē sequi

sequi falso gloriantur, ex quo magis ac magis ipsorum dolus patefiat. Nego igitur veteres patres ullos unquam istius successionis meminisse, nisi vel aduersus Schismaticos, stante adhuc legitima successione, sicuti actum est aduersus Donatistas: vel contra eos qui nouas nostrae religionis tabulas proferebant, quales fuerunt initio penè innumeri, ut Simon, Valentinus, Basilides, Montanus, tota denique illa impudentissimorum hominum cohors. Sic igitur orthodoxi aduersus istos ethusiastas colligebant. Si uestra doctrina vera est, aut nunquam adhuc fuit Ecclesia, aut vetus est doctrina quam profertis. Vtrumque autem istud falsum esse constat ex eo quod & Apostoli Ecclesiam Christi collegerunt, & vos uestra non ut ex Apostolicis scriptis desumpta, sed ut recenter vobis à Spiritu Sancto patefacta docetis. Et rursus (aiebant patres) hoc vtriusque liquet ex eo quod & nostrarum Ecclesiarum primordia sursum ad ipsos usque Apostolos ascendendo, enumeramus: vos autem accipere ab Apostolis uestra non potuistis, quae primi excogitastis. Hic supererat vnum, quod illorum fanaticorum versutissimi excipiebant: nepe

Argumēto successiōnis perionalis non vñ sunt veteres aduersus quos uis hærēticos.

non omnia fuisse Apostolis patefacta, ac proinde suis quoque reuelationibus credendū. Sed Tertullianus, (quem mirū est postea decipi à Montani paraclero potuisse) copiosissimè & neruosissimè istā prescriptionē refutat, ostendens neque quicquam celasse Dominū Apostolos Ecclesiæ suæ architectos, nec vicissim Apostolos quicquā eorū reticuisse quæ à Christo accepissent. Sic, inquā, patres successionis personarū argumento aduersus illos vsi sunt planè *ἑρμηνεύοντες*: aduersus Samolitanos verò, Sabellianos, Arianos, Pelagianos, vllos denique cum quibus non de tabulis ipsis sed *ἡ δὲ διακονία* quærebat, nō item: quoniam hoc ineptissimū fuisset. In summa igitur duo ista respondeo: Veteres, quorū auctoritate isti impudenter a-  
 butuntur, neque à doctrinæ Apostolicæ successionē vnquā separasse Episcoporum ipsorum successionē: neque aduersus alios hæreticos hanc opposuisse successionem, quàm aduersus eos à quibus noua quæpiā reuelatio, sicut hodiè ab Anabaptistis, Libertinis, Schuencfeldianis, prætexebatur: ac proinde quum nunc inter Romanistas & nos duabus tantū de rebus controuer-  
 tatur



tatur, nempe de Scripturæ interpretatio-  
ne, & an scripta Prophetica & Apostolica  
plenissimè complectantur quicquid nobis  
credendum est: efficitur illos in priore qui-  
dem capite impudenter abuti patrum ex-  
emplo in successionis argumento aduersū  
nos proferendo: in altero autē nobis certū  
etiam ad eos refutandos telū subministra-  
ri. Quòd autem successio etiam ista aduer-  
sus Donatistas prolata fuit tanquā schif-  
maticos, nihil hoc ad nos pertinet, quos  
isti non pro schismaticis propriè, sed pro  
hæreticis habent: qua de re tamen suo  
quoque loco non nihil dicemus.

Sed age, gratificemur istis aliquantulū,  
& (quod nullo veritatis præiudicio fiat) i-  
stis suæ illius personalis successionis quan-  
tamcumq. vim concedamus: quid hoc ob-  
secro, causam ipsorū adiuuerit?

Etenim, (vt ab ipsorū Hierarchiæ, quā  
vocant, summo gradu, id est ab illo vniuer-  
sali ministeriali capite, inchoemus, cui no-  
mē Papæ omnibus Episcopis antea com-  
mune, proprium postea fecerunt:) Sata-  
nam tam facilè in regno Dei quàm eius-  
modi vllum caput, vel in noui fœderis ta-  
bulis, vel in antiqua Ecclesia inuenerint.

Argumē-  
to à succes-  
sione Apo-  
stolica per-  
sonali, non  
modò non  
fulciri Ro-  
manā pseu-  
decclēsiā,  
sed etiam  
euerti etiā  
si de doctri-  
na nō quæ-  
ratur.

Nullum  
Apostoli-  
cū vnquam  
fuisse mini-  
steriale ve-  
niuersale  
caput, ac  
proinde il-  
lius succes-



tionem nō  
esse Apo-  
stolicam.

Notum enim est ipsis quoque pueris, quā  
falsa, inepta, absurda sint quæcunque ex  
scripturis ad id probandum afferunt: &  
quod ad illius veteris purioris Ecclesiæ hi-  
storiam attinet (id est hac quidē in re vsq;  
ad Phocæ illius parricidæ tēpora) *Ἐπιτομή*  
quæ Romano Episcopo tribuebatur,  
nullos comperient (licet Romani qui-  
dem Episcopi nihil magis ambirent, neq;  
deessent qui ipsis impudētissimē iam tum  
adularentur) ita fuisse interpretatos, vt p-  
pterea gradū istum vniuersalis capitis ad  
illum transferrēt. Itaq; non Christum, non  
Petrum, sed illum omnium hominū teter-  
rimū, Phocam inquam, Imperatorē, istius  
vniuersitatis auctorem: Bonifacium verò  
tertium habēt istius tyrannidis, aut, vt ip-  
sius Gregorij Magni verbis vtar, Antichri-  
stianismi caput, adeò vt Mahumerismum  
Papismus Romanus annis duntaxat sede-  
cim ad summū antegrediatur. Quibus au-  
tem artibus istā tyrannidē monstrū istud  
inuasit: quis tādē hodie ignorare potest,  
nisi historiarū imperitus, aut cuius oculos  
Satan excæcarit? Imò quū beatissimus iste  
Pater sese nō vnus Petri, sed Pauli quoq;  
successorem iactet, quorū etiam capita nō  
tam

tam à Neronis carnificibus quàm ab ipso-  
 met Papa truncata, plumbeis illis sigillis su-  
 is insculpat: aut duo capita in vnum con-  
 flata postea fuisse necesse est, cuius dein-  
 ceptus potestas ad istum vtriusque successo-  
 rem scilicet transferit: aut neque Petrum  
 neque Paulum fuisse vniuersale istud vni-  
 cum ministeriale caput: nisi malit profi-  
 teri Catholicam Ecclesiam initio bicipité  
 in terris extitisse. Quid verò? vt de tot An-  
 tipapis nihil hîc commemorē, quum Li-  
 berius & Damasus vno eodemq; tempore  
 illam Romanam sedem communi omniū  
 consensu obtinerent, vbi tunc vnicum il-  
 lud vniuersale caput extabat? Et hæc qui-  
 dem de spiritualis illius gladij per manus  
 traditione dicta sint. Ad alterum autem  
 illum gladiū quod attinet, quem secularē  
 vocāt, quo Magistratus omnes iugularūt,  
 vnde tandem istius Iurisdictionis initium  
 ducūt? Nam, vt fabulam illam donationis  
 Cōstantini tam verā esse credamus quàm  
 est impudēter conficta, non erit certè Apo-  
 stolica, sed Imperatoria: neque à Christo  
 aut Petro, sed ab hominibus cōcessa: quod  
 tamen neque Constantino facere, neque  
 Episcopo Romano, etiam si vltro oblatum

esset, recipere licuit. Itaque si utraq; istas pennas suo iure repetierint, illas quidem Ecclesia, istas verò Reges ac Principes, (quod utrumque suo tempore eueniet) nō iam caput Ecclesiæ, sed de plumis cuculus iste apparebit. Et hæc quidem paucis de isto capite, quoniam sunt iam pridē à nostris copiosissimè & ex Dei verbo & ex priorum temporum certissimis historiis, ipso denique Pontificum testimoniis demonstrata.

Nullam esse posse in Cardinalibus, Primatibus, aut Archiepiscopis Apostolicam successionem.

Detruncato autem istius successionis capite, quòdnam fuerit reliquum corpus præter putre ac fœtidum cadauer? Certè proximum illi capiti gradum, nempe Cardinalatum, qualis nunc est, repeti à vetustiore ætate non posse, coguntur ipsi confiteri. Sequuntur Primates, & Archiepiscopi. Nam Patriarchatus vix nomen ipsum superest, & litē inter Quartūuiros illos primū, ac deinceps inter Quintūuiros exortū, Mahumetes tandē diremit. Horum igitur originē ne Nicena quidē Synodus ad diuinū verbū aut Apostolicam ordinationē, siue ἑγχεσθον siue ἀγχεσθον sed ad veterē consuetudinē refert. Itaque ne hæc quidē successio Apostolica videri potest. Superfunt Episcopi sic ab istis appella-

Episcopus  
pater gra-



ti, supra presbyteros videlicet in quaque  
 dicecesi constituti. Reliquos enim ordines  
 inferiores isti Successionarij nihil moran-  
 tur, quorum tamen vnica successio speciē  
 aliquam Apostolicæ successiois habet.  
 Atqui nō modò nullum talem Episcoporum  
 gradum ab Apostolis institutum, qua-  
 lis est postea statim ab Apostolorum tem-  
 poribus in Ecclesiam inuectus, constare ex  
 priore ad Corinthios epistola liquidò po-  
 test: nec fuisse tale quicquā Apostolo pro-  
 batū, nempe vt alius esset Episcopi quàm  
 presbyteri gradus, siue vt quispiam non  
 gregis sed *συμπεριεβυτέων* suorum respec-  
 tū Episcopus diceretur. Quis enim dubi-  
 tat quin hoc consilium vel daturus fuerit  
 Corinthiis Apostolus, vel ipsemet execu-  
 turus, & Cephæ vel Apollo attributurus,  
 si (quod Hieronymus ad Euagrium & in  
 commentariis in priorem ad Titum epi-  
 stolam tradidit) commodum, nedum ne-  
 cessariū hoc remediū compescendis schis-  
 matibus futurum censuisset? Sed siue gra-  
 dum istū in Ecclesia instituere licuit, siue  
 minus (de hoc enim disputare nunc quidē  
 non placet) non tantum illud ex Hiero-  
 nymo liquet in epistolā ad Titum, Episco-

dum quo  
 supra pres-  
 byteros si-  
 ue pasto-  
 res reli-  
 quos attol-  
 luntur, fu-  
 isse Apосто-  
 lis ignotū,  
 ac proinde  
 nullā eius  
 esse succes-  
 sionē Apo-  
 stolicam.

pos consuetudine magis, quàm dominicæ dispositionis veritate presbyteris esse maiores, sed etiam ex testibus quos isti vt omni exceptione maiores proferre consueuerunt, veluti Lucino Papa, Clemente secundo, Anacleto, (nisi nothæ sunt eorū potius epistolæ, quas isti tamen pro authenticis citant) Lombardo lib. sentēt. 4. dist. 24, Gratiano, Cardinali denique Cusano lib. de vnitae Catholica, & Platina in vita Bonifacii tertii pontificis: qui omnes disertè testatur totum istum hierarchicum ordinem suprâ Presbyteros, esse ad Romani imperij exemplar ab hominibus excogitatum; id est veram esse bestiae imaginem in Apocalypsi Ioannis descriptam, cui operam initio quoque nauarunt nonnulli qui minimè id factum volebāt. Tanti fuisse momenti res ipsa tandem docuit, à verbo Dei vel transuersum vnguem deflectere.

Conclusio disputationis de successione personarū à successione doctrinae coniuncta.

Hæc autem quum ita sese habeant, id est quum neque personarum ista successio factis vera ac genuina sit Ecclesiæ nota, neque, vt talem esse demus, quicquam ad istam Papisticam laruam pertineat, quid tandem istud rei est in quo nonnullos hodie tantopere



pere videmus hæsitare, vt etiam non pauci, quasi obiecto Gorgonis capite, pedem referāt? nempe hæc quidem est spiritus erroris efficacia, vt qui prohi sūt & ἀπίστοι, manifesti fiant.

Audiamus autem aliud quoque nō dissimile istorum impudentiæ testimonium. Volunt quoque eam demum censerī Ecclesiam vbi vigeat ordinaria ad sacrum ministeriū vocatio. Istud verò quid aliud est quàm Chalcidēsis illius hospitis exemplo, eandem escam interpolatam nobis reponere? Quia tamen hīc rursus velut ad scopolum, & quidem non sine naufragij periculo, hærerē nōnullos video, conabor illos hinc quoq; veluti veritatis flatu impulsos extricare.

Certè si istos iubeas quid Ordinationis nomine intelligāt explicare, ( quæ petitio in hac quæstione prorsus honesta est, atq; adeò necessaria ) tum apertè leonum istorum vngues sese prodēt. Proferent igitur illud Apostoli, Quomodo prædicabunt nisi mittantur? & illud, Oportet in domo Dei rite & ordine fieri omnia. Assentimur. Dicent veteribus canonibus totum illum ordinem comprehendī, qui violari nullo

Ordinationem eam nonicam nō esse perpetuam & necessariā Ecclesie Catholicæ notam.

Mitti quidem à Domino semper oportet pastores: sed nō est semper eadem missionis ratio.

modo possint aut debeant. Respondemus  
 primum, ex ipsorum Canonum compara-  
 tione liquere vnum & eundem ordinem  
 in Christianis Ecclesiis, neque præscriptū  
 semper, neque vbiq̄ue seruatum: neque e-  
 tiam hoc pati posse circumstantiarum va-  
 rietatem, vt idem vbiq̄ue, & semper ordo  
 in his rebus ad amissim obseruetur: ac  
 proinde importunè tāquam absolutè ne-  
 cessariò exigi Canonum, etiam vetustissi-  
 morum & optimorum obseruationem.  
 Quod si tam hīc sunt impudentes vt hoc  
 inficientur, arguam ipsos profectò vt ma-  
 nifestos præuaricatores. Nam si quicquā  
 ex canonibus prætermittere sine vlla ex-  
 ceptione nefarium est, vnde ille maximus  
 Romanæ curiæ ex Iuris quoque ipsius di-  
 uini dispensatione quæstus? Neque me ve-  
 rò ab istac exceptione detrudi facilè pa-  
 tiar.

Canonica  
 ordinatio,  
 etiam si sta-  
 tuatur per  
 petua Ec-  
 clesiæ Ca-  
 tholicæ no-  
 ta, Roma  
 nam Pseu-  
 declesiā  
 coarguit.

Sed age hīc etiam istis gratificari libet.  
 Dicamus igitur, (dilata illius exceptionis  
 disceptatione) Vocationem esse rationem  
 non tantum verbo Dei, sed etiam veteri-  
 bus puris ipsis canonibus consentaneam,  
 qua munus Ecclesiasticum cuiquam com-  
 mittatur. Concedamus etiam (nullo tamē  
 cum

cum veritatis præiudicio ) ibi demum vbi  
 ordo iste integer vigeat, veram Ecclesiam  
 videri: aio tamen sic certissimè liquere istã  
 Ecclesiam Papisticam nihil minus esse  
 quàm illam Catholicam cuius nomen sibi  
 vendicat. Cedò enim, quis iste ordo est?  
 nempe vt legitima præeunte doctrinæ &  
 morum cognitione, & graduum Ecclesia-  
 sticorum ordine non temerè violato, qui-  
 spiam ex libero totius alicuius Ecclesiæ de  
 qua agitur consensu, ad sacrum Ministe-  
 rium designatus, à quibus decet ordine-  
 tur, id est, in suæ functionis veluti posses-  
 sionem mittatur. Hunc autem ordinem si  
 quis violet, id est, siue in examine, siue in  
 electione vitium interueniat, omnes puri  
 canones irritum id omne censi iubent,  
 atque adeo ordinãtem grauissimis pœnis  
 subiiciunt. Hoc ita se habere ne isti quidẽ  
 inficiari possint: quamobrem paginas mul-  
 tas, canonũ citatione onerare nolui. Iam  
 prodeant isti, & nobis ex vniuerso ipso-  
 rum clero vel vnum proferant in quo sit  
 ordo iste, vel dicis causa, obseruatus. Non  
 quæro an ista, tum à verbo Dei tum à pu-  
 ris canonibus præscripta, sint ab istis ad  
 amissim multis iam seculis obseruata: sed



hoc quæro, an ullus sit plerisq. locis apud illos electionis vsus, quum de ipsius abolitione cum Regibus & Principibus pepigerit, eaque pacta excudi, & proflare Romana meretrix patiatur. Vbi verò aliqua superest electionis species, ad eone existimauerim istorum quemquam esse posse impudentem, vt quæ emptis manifestè suffragiis inter ambientes & Canonicos quos vocant, id est, inter porcos & asinos, immunda prorsus animalia, ex comparato palàm geri vniuersus mundus nouit, aufint aliud esse negare quàm abominandam omnis & diuini & ipsius purioris Canonici quod vocant, iuris conculcationem? Examini autem doctrine & morum legitimi scilicet testes sunt illi perditissimi homines, nō aliunde partim in istius Romanæ Ecclesiæ prouinciis, partim in ipsius Romanæ meretricis sinu, quàm ex quotidianis manifestis periuriis victum sibi comparantes. Et hoc scilicet ignorant Pontifices ab his verbis suas Bullas inchoantes, *Vita ac morum honestas, super quibus fide digno apud nos commendans testimonio, &c.* Quid? Collationis siue ordinariæ, siue deuolutæ, quas vocant, & Resignationis iura,



ra, vbi tãdem nisi in Satanæ coquina sunt excogitata, intrita, percolata, ac tandem omnibus summis & iisimis dementandis propinata? Et isti scilicet vocationem Ecclesiasticam penes se euicerint residère.

Sed rursus audiamus, quod magis etiam istorum impudentiam coarguat. Quum de vocatione nobiscum litigant, vrgere solent Manuum impositionem, quasi in ea situm sit verum legitimæ & adulterinæ vocationis discrimen. At qui bonos viros istos oblitos non fuisse credo quod modò dixi, nempe ex omnibus veteribus Canonibus irritam censeret eius ordinationem qui non fuerit legitimè examinatus & electus, & qui tales ordinent, grauissimis etiam pœnis subiici: ac proinde frustra ipsos sibi vindicare quod nunquam apud illos inuenitur.

Deinde illud quoque ipsos scire oportuerat, non creari Pastores manuum impositione, sed legitima Electione (quæ vox Dei est) creatos, Deo sic commendari & in possessionem Ministerij sui mitti. Quod enim ipsi illum impositionis manuum ritum inter

Temere aduersum nos contèdere Romanum pseudolecturam de manuum impositione.

Manuū impositione nullos creari Pastores, sed iam creatos mitti in muneris sui possessionem, & Deo commendari.

Sacramenta, eâdem atque Baptismum, & Cœnam Domini ratione numerant, profus vanum esse delirium dicimus, quum neque præceptum illius ritus expressum extet, neque promissio sacramentalis illi ritui sit adiuncta: neque tamen aut hunc ritum reiicimus, aut preces Ecclesiæ Pastorem sibi à Deo missum (missio enim diuina est legitima electio) eidem commendantis, ac veluti offerentis, inanes esse censeamus. Sed hîc nimirû istis hypocritis quod in cæteris quoque rebus contigit, nempe vt, iis omisiss in quibus vera vocatio consistit, (doctrinæ videlicet ac vitæ perfectatione, & legitima totius Ecclesiæ electione) in externa ceremonia hereant, quâ & ipsam infinitis histrionicis ritibus conspurcarunt, vt horrendam illam nundinationem, veterumque canonum de beneficiorum quæ vocant multiplicatione, & de ordinatione per saltum (vt ipsi loquuntur) conculcationem præmittam. Et tamen ita quoque summo veterum Synodorum consensu, non ordinationem modò, sed etiam cæteras vocationis partes potiores irritas censerî ne ipsi quidem ignorant.

Sed

Sed age, ponamus etiam legitimè omnes istos & electos & ordinatos: an, idcirco fuerit illorum cœtus Catholica Ecclesia, ac non potius latronum spelunca, si vocatione abutentes lucem conuertant in tenebras, & hoc vnum agant, vt oves ad Christum adducendas, Satanæ mancipet? Et tamen ne si hoc quidem faciat istius pseudoecclesiæ caput (quid autem aliud facit?) à quoquam mortali iudicari se posse sustinet. Sic enim non dicere modò, sed etiam scribere isti iam pridem ausi sunt. Quod si hoc planè est Antichristum esse, quæso, quænam ista Catholica est Ecclesia, cuius Antichristus sit caput?

Ne legitimum qui dem ordinationem esse perpetuam & absolute necessariam Ecclesiæ vere siue Catholice siue particularis notã.

Itaque, vt tandem hunc locum concludam, consistare iam hæc duo satis arbitror: neque successionem nudam personarum aut externæ vocationis obseruationem, esse veræ Ecclesiæ necessariam ac perpetuam notam illam quam logici proprium quarto modo appellat: neque, etiam si ita esset, ista quicquam ad Ecclesiam Romanam, qualis est, id est, ad Papatum pertinere: sed potius quæcunque Antichristi Ecclesiam coarguunt, in ista meretrice sic aperte eminere, vt qui illam pro adultera

Conclusio totius superioris disputationis, de successione personalis, & ordinacione.



repudiata non agnoscat, refugiat & ex-  
cretur, planè vel ista nihil curet, vel omnis  
intelligentiæ sit expers.

Vera Ec-  
clesiæ ve-  
ræ defini-  
tio & genu-  
ina nota  
necessaria  
ac perpe-  
tua.

Quoniam verò propositum nobis est,  
non tantum falsas notas ostendere, quod  
à nobis esse factum putamus; sed etiam ve-  
ras ac genuinas proprias Ecclesiæ notas  
veluti digito commonstrare, age poste-  
rius istud aggrediamur. Dicimus igitur  
veram Ecclesiæ veræ siue particulariter,  
siue vniuersaliter consideratae definitio-  
nem esse, qua dicitur esse cœtus qui ve-  
rum Iesum Christum vnicum seruato-  
rem suum agnoscat. Vnicum enim hoc  
esse veræ illius spiritualis domus Dei fun-  
damentum: vnicum illius mystici corpo-  
ris animam, vnicum illius ædificij amul-  
sim Iesum Christum.

Verum  
Christum à  
falso ex v-  
niversis scrip-  
tis  
Propheti-  
cis & Apo-  
stolicis esse  
agnoscen-  
dum.

Respondent aduersarij idem se  
quoque agnoscere ac prædicare. Idcir-  
co adiicimus, Quum multi sint Chri-  
sti falsi, nos de vero Christo agere. Idem  
& isti excipient se fecisse & facere. Ter-  
tio igitur loco addimus, Eum demum  
Christum verum esse, qui sese per os Pro-  
phetarum & Apostolorum plenissime pa-  
tesfecit. Os autem Prophetarum & Apo-  
stolo-



istorum interpretamur ipsorum scripta authentica, quibus plenissimè & perfectissimè comprehensa omnia Christianæ fidei dogmata, partim expressè, partim ex necessariò consequentibus affirmamus.

Æquè enim absurdum esse credimus existimare Apostolos aliquid nesciuisse mysteriorum Christianorum, vel non omnia mundo reuelasse, (quod vtrumque dementiæ meritò tribuit Tertullianus) atque non omnia ad salutem necessaria scriptis tradidisse: vel denique non ita tradidisse, vt vel ex se non satis pateant, vel, si quid obscurius scriptum est, aliùde quàm ex ipsismet eorum scriptis vera sit eorum interpretatio accersenda. Hic verò aperte dissentientes habemus aduersarios, non omnes tamen, neque pari impudentia. Sunt enim qui vtrumque illud concedant, Apostolos videlicet salutis doctrinam omnem perfectè cognouisse, & eandem totam Ecclesiæ optima fide nuntiasse: quod certè meritò concedunt, quum hoc testetur ipse disertissimis verbis Christus Iohannis capite decimoquinto, & cap. 16. 13. & Paulus Actorum cap. 21. 27.

Idcirco ex Prophe-  
ticis & A-  
postolicis  
scriptis  
perfectè di-  
gnosci ve-  
rum Chri-  
stum, quo-  
niam fidè  
Christia-  
nam om-  
nem plenè  
& peripi-  
cùe scie-  
rint, & do-  
cuerint, &  
adhuc suis  
scriptis da-  
cènt Pro-  
phetæ &  
Apostoli.

Galat. i. 8, & Hebr. i. i. Alioqui falsum esset, aliquatenus saltem, quod idem Paulus ait, Ecclesiam videlicet superstructam esse Prophetarum & Apostolorum fundamento, & quod de sacris scriptis testatur, 2. Timoth. 3. 16. 17. Imò etiam falsum fuerit, quod dicit idem Apostolus, Ecclesiam esse columnam veritatis, nisi in ea columna veritas omnis insculpta prosteret. Alij quidam impudentiores nescio quid iis relictum autumant, quos Apostolorum successores vocant: adeò quidem confidenter ut etiam ea in re errari non posse contendunt, quorum dogma apud sani iudicij homines arbitror nunc quidem refutatione non egere.

De Verbo nō scripto quid sentiendum.

Sed in duorum posteriorum ac praesertim in postremi capitis oppugnatione prorsus istos omnes video aduersum nos consentire. Vrgent enim verbum quod ἀγραφοι, quod Apostolicas traditiones vocant. Et certè non inuitus illis concedo, non fuisse sigillatim praescripta quaecunque pro temporum, locorum & personarum circumstantiis sunt in forma ipsa diuini cultus ab Apostolis aut eorum consensu obseruata.

Sed

Sed quis idem statuendum esse de ipsius doctrinæ placitis concesserit? Denique quum quænam ista sint dogmata proferre iubentur aduersarij, tum prodit sese mendax ille spiritus, quoniam quæ per manus tradita esse volunt, tradi ab Apostolis neque voce neque scriptis potuerunt, quin à seip[s]is dissentirent. At qui longè aliter patres etiam omnes orthodoxi de scripturarum sacrarum summa integerrimâque perfectione iudicarunt, quorum testimoniis milies prolatis has paginas implendas nunc quidem non putauit.

Supereſt quæſtio de Scripture interpre-  
tatione, quæ ſic profectò ab iſtis agitatur,  
vt blaſphemia crimẽ effugere nõ poſſint.  
Sunt, fateor, nonnulli ſcripturæ loci partim  
ob linguarum ignorationem, partim etiã  
alio noſtro vitio nobis ad hunc uſque diẽ  
ita obſcuro, vt ne nũc quidem inter doctiſ-  
ſimos quoque & optimæ conſcientiæ in-  
terpretes de illorum proprio ac genuino  
ſenſu per omnia conſtare potuerit. Sunt  
quædam etiam in ſacris literis uſque adeò  
ſubtiliter dicta, vt non quibuſuis eò uſque  
progredi liceat. Denique ſunt etiam quæ-  
dam iis uerbis ſcripta vt, quod ait Auguſti-  
c. j.

Verbi  
ſcripti in-  
terpreta-  
tio non  
aliunde  
quàm ex  
eodem ip-  
ſomet uer-  
bo, locorũ  
videlicet  
collatio-  
ne, & ana-  
logia arti-  
culorum  
fidei peten-  
da.



mus, ac uere nostrā in iis scrutandis ac meditando diligentiam appareat Spiritum sanctum uoluisse. Ac nisi doctrinae ac religionis Christianae necessaria capita sic plane ac perspicue, populariter denique, Prophetis & Apostolicis scriptis explicata sunt, ut in Ecclesia percipi (interueniente Dei Spiritu quo sanctos omnes suos illustrat) manifestè possint, quorsum ad scripturas suos auditores Dominus ablegaret: imo quorsum & Prophetæ & ipse quoque Christus, & Apostoli loquuti fuerint, si intelligi illa noluerunt, quæ scire omnes oporteret?

Dogmata Christianae religionis quae sunt, potest etiam naturali intelligentia ex scriptis Prophetis & Apostolicis cognosci,

Dicam aliquid audacius, quod tamen probare me posse confido. Ut Christianae fidei placitis tanquam ueris assentiamur, ac multo magis ut ea nobis ipsis applicemus, oportet certè nobis aures aliunde aperiri, carneū cor tribui, nos denique aliunde quàm à carne & sanguine doceri, quòd Ecclesia sit eorum cœtus qui *Prophetae* sunt & quibus brachium Domini reuelatū est: Ut autè quid de singulis nostrae religionis articulis in summa senserint ac docuerint Prophetæ & Apostoli intelligatur, solo penè nō penitus obtuso ingenio, & linguarū peritia, attenta denique lectione opus est.



Lōgè enim aliud est percipere quid hic vel ille dicat, quàm quæ percipias sic intel ligere vt etiã probes, & non tantùm τὸ ὄτι, sed etiã τὸ δῖοτι teneas: & aliud est κατάληψις quàm ἐπισήμη in prophanis etiã rebus: & hæc rursus in Theologicis ἐπισήμη aliud est ἢ πλεθροφεία. Itaq. κατάληψις quidẽ omnium est aliquo iudicio præditorũ: ad ἐπισήμη autẽ externa quoq; Spiritus diuini illustratione propter humani iudicij cæcitatẽ opus est, quod tamen donũ est multis etiã malis cum bonis commune. At πλεθροφεία electos à reprobis discernit, estque proprium sanctorum peculiũ.

Itaq. explicationẽ Verbi diuini non modo vt vtilẽ verũ etiã vt necessariã requirimus, nequaquã tamẽ ob quã causam isti putãt, neq. inde petendã vnde isti existimãt. Arbitrãtur enim illi sic illud obscure traditũ, vt aliũ de illata luce, quasi ἀνιγμωτῶδες quippiã indigeat: & quũ ab iis queritur vnde tandẽ lux illa sit accersenda, rursus Ecclesię Catholicę laruã nobis obtendunt: quo nomine interdũ hos vel illos ex patrib. interdũ conciliorũ particulariũ vel vniuersaliũ cõtones, sæpissimẽ denique lōgã cõsuetudinẽ p̄ irrefragabili testimonio

Distin-  
guẽda esse  
in sacris li-  
teris, κατὰ  
λογίαν, ὁμι-  
λήσειον, &  
πληθροφεί-  
αι. quorũ il-  
la natura-  
lis est, al-  
tera, spiri-  
tualis qui-  
dem, sed  
cum repro-  
bis etiã,  
nonnul-  
lis com-  
munis, ter-  
tia filiorũ  
Dei pro-  
pria.

quibus in  
capitibus  
hodie dis-  
sideamus  
quum de  
Verbi di-  
uini inter-  
pretatione  
queritur.

imperitis obtendūt: quibus si quis non statim assentiatur, quasi reus diuinæ & humane maiestatis peractus, olim quidē quadam iuris specie ad ignem damnabatur, nunc verò nulla præeunte cognitione, furentis plebis gladiis obiicitur. Et hic quidem nunc est istorum zelus. Nos verò, ut vno verbo omnia quæ huc spectāt exponamus, Ecclesiā Christi esse dicimus scholam in qua verbum domini non modò recitandum ex scripto, sed etiam docendū sit ut rectè intelligatur, & ita quidē ut adhortationes, correptiones, consolationes, tum publicè, tum priuatim adhibeantur, quod apud Paulum prophetandi nomine intelligitur. Deinde & hoc adiicim⁹ quod hūc est præcipuè animaduertendum: non aliunde quàm ex ipsis scripturis petendam esse earum interpretationem: non modò quoniam vnicum verbum Domini est *ἀποστόλων*, sed etiā quia nusquam alibi quàm in scriptis Prophetis & Apostolicis illa veritas est nobis patefacta. Notissimum enim est ac verissimū illud Augustini, scripturam esse ex scriptura interpretandam. Nec pigebit hūc adscribere insignem locū ex hom. 49. operis imperfecti in Mattheū. quod

quòd nostris tēporibus penitus cōueniat.

Qui vult (inquit ille) cognoscere quæ sit ve-  
ra Christi Ecclesia, non cognoscat nisi tan-  
tummodo per scripturas. Et mox. Christi-  
ani ergo volentes firmitatem accipere fi-  
dei veræ, ad nullam rem fugiāt nisi ad scri-  
pturas: Alioqui si ad alia respexerint, scā-  
dalizabuntur, & peribunt, non intelligen-  
tes quæ sit vera Ecclesia: & per hoc inci-  
dent in abominationem desolationis, quæ  
stat in sanctis Ecclesiæ locis. Sed penes  
quem erit, inquierit isti, scripturarum in-  
terpretatio? Certè non omnes sunt Pro-  
phetæ, non omnes Doctores. Sed vicissim  
clamat Esaias, & Sacerdotes & Prophetas  
errasse in visione: neque admoneret Chri-  
stus fugiendum Pharisæorum fermētum,  
si fuisset sine exceptione iis assentiendum,  
qui in cathedra Moysis sedebant: neq. fugiē-  
di essent pseudoprophete, si omnes Pro-  
phete verum dicerent: neque Christum  
damnassent Caiaphas & vniuersa Sacer-  
dorum synodus, si Spiritus sanctus in Aa-  
ronis sede sedētibus, fuisset sine exceptio-  
ne alligatus: Quid ergo?

Audiant igitur isti tandem quod toties  
sumus surdis vociferati: nos videlicet neq.

Vetustas  
aut noui-  
tas nihil



facit ad ve-  
ram inter-  
pretationē  
a falsa di-  
gnoscen-  
dam.

veteres, neque recentiores Synodos, siue  
particulares, siue vniuersales, nisi aperte  
λησιμῶς: non veteres, non nouos scripto-  
res nisi palàm aut superstitiosos, aut ridicu-  
los, aut communi cōsensu abrogatos: non  
veterum, non recentiorum, siue Ecclesia-  
sticorum siue Laïcorum, vt isti vocant, scri-  
pta (nec enim Deus est *ωεγοσωποληπιης* &  
sæpissimè per infimos confūdit sapientissi-  
morū arrogantia) nisi manifestè impia, su-  
perstitiosa, aut inepta simpliciter repudia-  
re: sed hoc tantū exigere quod doctissimi &  
religiosissimi quique ex veteribus scripto-  
ribus sedulò faciendum monent, nimirum  
vt hæc omnia ad diuini verbi scripti nor-  
mam accuratè exigātur. Vetusitas enim &  
scribentium auctoritas inducere quidem  
potest falsitati aliquem veritatis colorem,  
at vt verum sit quod à scriptis prophetiis  
& Apostolicis vel tantillum discrepat, id  
verò efficere nunquam potest. Deinde  
ipsa experientia plus satis ostendit, funda-  
mento ab Apostolis posito non tantum  
fœnum & palem: sed etiam ferrum & eru-  
ginem, veritati denique mendacia iā olim  
fuisse superstructa, quæ omnia verbi diuini  
luce & igne consumi tandem oporteat.

Et



Et ne rursus isti conquerantur sic in  
 dubium reuocari quicquid in veteri Ec-  
 clesia fuit repetitis conciliis statutum: a-  
 gnoscere nos fatemur Symbola commu-  
 ni totius Ecclesiæ consensu perpetuo cõ-  
 probata, nempe Apostolicum, Nicenum,  
 Athanasianum, Constantinopolitanum,  
 Chalcedonensẽ, cum Ephesini concilij se-  
 cundi aduersus Nestoriũ anathematismis: &  
 hereses omnes illis quatuor cõciliis, ac etiã  
 Constantinopolitanis Synodis quinta &  
 sexta confossas, atq; adeò quæcũq; postea  
 vel exortẽ vel interpolate, expressa vel ta-  
 cita Ecclesię totius cõsensione ex Dei ver-  
 bo sũt damnatæ, & ore & corde detestari:  
 non quod ab vllis Synodis siue Symbolis  
 pendeat veritas, sed quoniã quę in iis præ-  
 scripta & sãcra sũt, agnoscimus ex prophe-  
 ticis & Apostolicis scriptis rectè diiudica-  
 ta: tantũ abest vt Ecclesiæ auctoritã ab-  
 rogemus, aut piorum siue antiquorum si-  
 ue recentium consensũ aspernemur, quod  
 aduersarij nobis falsò & impudenter ob-  
 iiciunt.

Summa autem omnium istorum hæc  
 est, Christum esse veram, perpetuam, ne-  
 cessariam denique & vnicam Ecclesiã

Vetustæ  
 rum Syno-  
 dorũ Sym-  
 bola, & pa-  
 trum ad-  
 uersus he-  
 reticos iu-  
 dicia mini-  
 me à nobis  
 repudian-  
 tur: imò cõ-  
 tra aduer-  
 sarios for-  
 titur (quã-  
 uis non vt  
 uirum) de-  
 fendun-  
 tur.

Concia-  
 tio dispu-  
 rationis de  
 Christo ve-  
 ro vnica

vera, per-  
petua, &  
absolutè  
necessaria  
Ecclesiae  
verè nota.

Catholicae notam, Christum inquam ve-  
rum, id est, qualè sese initio tum in scriptis  
Propheticis tū in Apostolicis scriptis per-  
fectissimè, quod ad salutis rationè attinet,  
patefecit. Stat enim illud, Qui mecum nō  
colligit, spargit: Et illud, Christum esse an-  
gularem illum fundamēti lapidem ex quo  
totum ædificium exurgit: & caput illud v-  
nicum quod corpori suo, id est Catholicae  
veræ Ecclesiae, sensum omnem ac motum  
subministrat: esse denique ostium, viam,  
resurrectionem & vitam. Itaque vbicum-  
que verbum illud sicuti par est auditur, ibi  
demum Christus regnat: & vbi Christus  
regnat, ibi demum Catholicam illam visi-  
bilem Ecclesiam esse arbitramur, neq. cer-  
to vlli loco, neque multitudini alligatam.  
Nam vbi illud  $\pi\tau\omega\mu\alpha$ , Christus videlicet  
crucifixus, ibi sunt illæ aquilæ: ibi salus, vbi  
illud vnicum nomen, in quo salui fieri pos-  
sumus: ibi Filij lucis, vbi Sol ille illucet: ibi  
veræ oues, vbi Pastoris illius vox sonat, e-  
tiam si duo aut tres duntaxat in vniuerso  
terrarum orbe fuerint verè in ipsius no-  
mine congregati: & vt paucis dicam, vbi  
femen illud verum feritur, ibi est ager  
Domini, & ibi messis illa crescit nun-  
quam

quam exurenda.

Sed rursus quoniam, partim propter ingenij humani in præstantissimis etiam hominibus imbecillitatem, partim Pastorum improbitate aut negligētia fit, ut vix unquam Christiana doctrina ab Apostolorum temporibus sic annunciata fuerit in Ecclesia Dei, quin næuus aliquis irrepsit, quod ex Apostolicis epistolis etiam liquet, illis quoque superstitionibus, factum: quoniã denique constituit Dominus non modò ut doceretur verbum, sed etiam ne à quouis doceretur, & propterea ordinis istius certas leges perscripsit, duo sunt hîc mihi rursus explicanda, nempe quatenus puram esse necesse sit illam unicam veræ Ecclesię notam, Verbi diuini videlicet annuntiationem: & quantum sit Pastorum ipsorum ordinationi ac successioni tribuendum.

Ergo quod ad illud prius attinet, tria pono in primis, Vnum, etsi nihil nobis in Sacris literis proponatur quod non sit ad salutem vtilissimum ac penè necessarium, quædam tamen esse præcipua nostræ religionis capita ac veluti fundamenta, quæ sint ab aliis discernēda. Alterum, quædam

*Quatenus puram esse doctrinam fidei in Ecclesia necesse sit ut vera sit Ecclesia, siue particularis, siue vniuersalis.*



& olim Catholicæ Ecclesiæ fuisse, & aliis temporibus esse subinde posse rudimenta aliquarum Ecclesiarū particularium, quæ tamen propterea veræ Ecclesiæ esse non desinant. Tertium, non esse metiendam Ecclesiæ, siue Catholicæ, siue particularis alicuius fidem ac notam ex eo quod hic vel ille Pastor voce aut scripto doceat: neque ex eo quod aliquæ seorsum oves seferint, aut ex aliquorum siue multorū, siue paucorum disceptationibus, sed ex ea doctrina quæ cōmuniter sit in Ecclesiis recepta modò sit verbo Dei consentanea.

Non omnia Christianæ fidei dogmata esse fundamentalia.

Hæc autem *ἀντίμωρα* quoniam in controuersiam vertuntur, agere certis rationibus & exemplis illa comprobemus. Quod ad primum attinet, res ipsa demonstrat, de quibusdam controuerti saluo fundamentò religionis Christianæ posse, & quædam rursus tolli non posse quin totum ædificium funditus obruatur. Qui Christum negat venisse in carnem, ex Deo nō est, sed est spiritus Antichristi. Ergo *Δου-  
ϋ*, Marcionitarum & aliorum huiusmodi cœtus non sunt Christi Ecclesia: unde efficitur dogma de Christi vtraque natura esse caput Christianæ religionis funda-



fundamentale. Rursum Hierosolymitana Ecclesia (in qua quis fuit Petro doctior?) ignorauit incircuncisorum uocationem, & tamen quæ tum erat in orbe terrarum uera Ecclesia, si Hierosolymitana non erat? Ergo dogma de uocatione incircuncisorum non est per se ex fundamentalibus Christianæ religionis capitibus. Aliquod igitur est inter ea quæ nobis credenda in scripturis proponuntur discrimen.

Alterum probari manifestiore etiam exemplo potest. Quis enim dubitat quin si uispiam fuit unquam Ecclesia uera ac penè unica & tota Catholica, ea fuerit ipsius Christi familia, cum suis illis duodecim discipulis etiam secundum carnem uersantibus? Quis item ignorat resurrectionis captio, cuius basis est ipsius Christi resurrectionis, tanti esse momenti, ut iure pronuntiet Apostolus illo sublato totum Euangelij fructum aboleri? Atqui ille ipse cœtus uix credere potuit Christum resurrectum habuit Thomas: imò ne suis quidem oculis uidentur fuisse credituri discipuli, nisi dixisset Dominus, Spiritus carnem & ossa non habet.

Quædam esse Ecclesiarum particularium rudimenta, quod etiam olim in Catholica uisum uenit.

Ex ali-  
quorū si-  
ue multo-  
rū siue pau-  
corum du-  
bitatione  
nō esse de  
alicuius  
Ecclesie  
falsitate  
aut verita-  
te statuen-  
dum.

Phil. 3.

Tertium autem illud, ex Achaia & Galatia Ecclesiarum exemplis confirmatur, quas certè vocaturus non erat Apostolus, Christi, ac proinde veras Ecclesias, si Corinthiacam Ecclesiam resurrectionis carnis dogma, & libertatis per Christum partæ beneficium Galaticas Ecclesias repudiassè propterea existimasset, quia Corinthi nonnulli ex ipsis etiam fortasse Pastoribus de resurrectionis capite ambigebāt, & ex Galatis plerique Circumcisionis & reliquarum ceremoniarum vsum reuocabant: quum tamē idem Paulus dicit, Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest, & eos qui non ignorantia, sed pertinacia circumcisionem urgebāt, testetur in aliud Euangelium translatos, ac proinde Apostatas manifestè appellet, & canibus, animalibus videlicet immundis, comparet. Sed aliud est errare per ignorantiam quàm veritati pertinaciter obistere, sicut *αὐτοματῶς* solent: aliud est hæresis quæ extra Ecclesiam est, si de fundamentali capite agatur, quàm hallucinatio sese doceri petēs ac sustinens: aliud est denique Solis eclipsis, quàm absentia, & vespera quàm noctis tenebræ: imò ipsa nox cui dies succedit,

dit, aliud est quàm fuerint tenebræ quum abyssum obtegerent.

His igitur positis facilè fuerit diiudicare, non quemuis errorem abolere veræ Ecclesiæ nomen, & simul falsissimū esse quod aiunt aduersarii, Catholicam Ecclesiam errare non posse, & tamen non omnem errorem abolere Catholicæ Ecclesiæ nomē.

Nam quod ad hoc posterius attinet, si particularis aliqua Ecclesia errare potest in aliquo etiam præcipuo Christianæ religionis capite, & tamen Ecclesia propterea vera esse non desinit, cur non idem de particularibus omnibus, nō sigillatim, sed vniuersaliter consideratis ( hæc enim est Catholica Ecclesia ) dicere licebit? Probabile certè non est vltos tum vixisse homines quum Christus resurgeret melius aut perfectius in vera fide institutos, quàm duodecim illos discipulos. Et tamen hunc totum cœtum videmus de Christi resurrectione, sicuti modò dixi, ad tempus vsque adeò dubitasse, vt propterea scribat Lucas Christum quadraginta dies post resurrectionem cum illis mansisse, vt plenam eis resurrectionis suæ fidem faceret. Itaque illud concludimus, oportere quidem ne-

Posse alios quos errores in Ecclesiâ Catholicam irreperire, etiam in aliquo fundamento cæpitæ fidei.



cessario præcipua nostræ religionis capita  
 salua manere in Catholica Ecclesia vt Ca-  
 tholica dici possit: sed aliquam interdum  
 nubeculam (pastorum præsertim oscitan-  
 tia) incidere posse, quæ modò huic modò  
 illi articulo aliquid tenebrarum obducatur,  
 quæ nihilominus Spiritu sancto illucescen-  
 te mox euanescat. Non est igitur idè sem-  
 per & sine exceptione κατὰ λόγον quod ὀ-  
 ρθόδοξον, vt imperiti homines autumant,  
 quum vniuersalis etiam aliquis error ad  
 tempus esse possit. Idem autem multo ma-  
 gis de particularibus istius vniuersitatis  
 cœtibus dici potest ac debet. Quod si hæc  
 vera sunt in ipsis etiam religionis nostræ  
 fundamentis, quanto magis idem existi-  
 mandum quoties obrepunt errores qui-  
 bus ipsa religionis fundamenta non con-  
 uelluntur? Hæ sunt enim paleæ quæ in-  
 terdum (auctore Apostolo) super ipsorum  
 Apostolorum fundamentum extruun-  
 tur, apparente tandem die Domini eua-  
 nescentes. Sed dies iste aliquando citius,  
 aliquando serius illucet. Sic Africani, penè  
 dixerim, Episcopi omnes cum Cypriano  
 irritum Baptismum ab hæreticis admini-  
 stratum crediderunt, quod, quãuis falsum,  
 salua



salua tamen manente fidei summa, doceri & credi perperā potuit. Sed diuturnus hic error non fuit. Eadē est prorsus ratio multarum traditiuncularum quæ falsò Apostolicæ idcirco vocari tandem & credi cœperunt, quòd vsu diuturno confirmatę, ab ipsis vsq; Apostolis profectę existimarentur: quas etiam propterea ne nūc quidem dies Domini, qui nostris rursus tēporibus illuxit, abolere sine maximis certaminib. potest. Absit igitur vt propter istiusmodi næuos, aliqui cœtus ad Catholicę Ecclesię corpus nō pertinere existimentur: quāuis summa sit piis ac diligentibus Pastoribus opera adhibenda vt hæ quoque maculę spongia verbi Diuini abstergantur.

Sed illud in primis hīc obseruandū est, næuos istos & veluti tubercula, interdum eò vsque excrefcere vt in gangrenam euadant, & membra ipsa à corpore auellant, quod Pastorum in primis culpa euenisse, tum veterum, tum nostrorum temporum exempla longè turpissima demonstrant. Sic exorcismus, alius quidem energumenis proprius, alius verò omnibus adultis ad Christianismū à Paganismo accedentibus communis, Pastorū oscitantia in

Næuos  
initio tole-  
rabiles in-  
terdum de-  
sinere esse  
næuos, sed  
in gāgrenā  
euadere.

Baptismum infantium ex Christianis nascentium inuectus, initio fuit næuus duntaxat, qui à veteribus Episcopis non animaduersus, eò vsque tandem auctus est, vt in Papatu quidem quasi necessarius retineatur, ac proinde in ἑτεροθρησκείαν, remminimè iam indifferentem, euaserit: in aliquibus Ecclesiis verò, quamuis Euangelij luce illustratis, quasi non inutilis, magno certè Pastorū dedecore, retineatur. Tanti est momenti tempestiuè leuissimis etiam erroribus occurrere. Palea fuit initio ritus vñctionis in Baptismo, quæ velut athletis aduersus Satanam & carnē certaturis adhibebatur. At hæc palea tandem quoulsq. euaserit videmus, quum chrisma etiã adorari cœperit, quod tamen aquæ ipsi, vero & essentiali Baptismi symbolo, nondum euenit. Sic crucis consignationem constat initio fuisse apertam Christianismi professionem, cuius tandem abusus effecit vt crucifixi loco crux ipsa sit collocata, nec vlla execrabilior sit in orbe terrarum idolomania. Sic celebrata fuerunt panegyricis orationibus & incredibili concursu *μνησκεία* martyrum, & celebriorum Episcoporum funera: vnde mox inuocationes mortuorum

rum ad illorum sepulchra ac tandem reli-  
 quiarum adorationes exortæ. Fœnum ve-  
 re fuit quarto circiter à Christi morte se-  
 culo parietum pictura in Christianorum  
 templa, absque vilo tamen cultu, inuecta.  
 At quousque nœuus iste sit progressus vi-  
 demus, adeò vt secundum Decalogi præ-  
 ceptum fuerit eo nomine palàm à Papistis  
 expunctum: & ( quod dici absque incredi-  
 bili quorundam dedecore nō potest ) etiã  
 hodie inter cæremonialia præcepta à nō-  
 nullis quos minimè oportuit referatur.  
 Tale fuit initio quadragesimale ieiuniũ,  
 & aliquis ciborum delectus, nulla cultus  
 opinione adiuncta: quæ nunc videmus ita  
 confirmata, vt in iis aliquatenus sitam ef-  
 se peccatorum remissionem, imò etiam  
 meritorum dignitatem, pertinacissimè  
 non pauci tueantur, qui maximè Catholi-  
 ci videri volunt. Quid, obsecro, magis in-  
 differens videri potest initio fuisse, quàm  
 celebrandæ Cœnæ causa lapideam aut li-  
 gneam mensam habere: atqui si nunquam  
 Græci, Latini altaria in celebratio-  
 ne Cœnæ adhibuissent, communibus mē-  
 sis, vt Apostolorum temporibus, conten-  
 ti: probabile est nūquam exorituram fuis-

se de illa execrabili idolomania Missatica  
 controuersiam, qua nunc videmus vniuer-  
 sum orbem terrarum conflagrare. Quorsu  
 autem haec: nempe in primis vt haereses ab  
 erroribus: fœnum & palea, ab iis quæ vel  
 per se, vel ppter inuectã cultus opinionẽ,  
 vel impia vel superstitiosa sunt, in diudi-  
 candis Ecclesię veræ notis distinguantur:  
 & tamen intelligant omnes Ecclesiarum  
 administratores sicut olim extruendum  
 altare non fuit ex lapidibus humana in-  
 dustria politis, neque vel clauum in ta-  
 bernaculo figere licuit, nisi ad exemplar  
 illud quod Moses viderat in monte: ita  
 etiam nunc omnibus verè pijs Magistratibus  
 & cunctis veris pastoribus dandam  
 operam vt in restaurando templo Do-  
 mini tot modis collapsõ, non tantum  
 ea restituant quæ ab Antichristis sunt  
 euerfa, verum etiam omnes vel leuissi-  
 mas maculas ab iisdem profectas quàm  
 diligentissimè detergant, quantumlibet  
 templi parietibus sint veluti incrustatæ:  
 & illis *ναυπηγίας* Satanæ ex præteritorum  
 temporum historia, & præsentium etiã Ec-  
 clesiæ ruinarũ inspectione animaduersis,  
 deludi



deludi sese prolatis veterum quorum-  
 cunque patrum centonibus, aut vlla con-  
 fuetudinis inani specie minimè patiantur:  
 sed potius non desistant donec doctrina,  
 & ritus & gubernatio quoque Ecclesia-  
 stica omnis, non ad typicam aliquam i-  
 maginem qua sub pædagogia legis opus  
 fuit, sed ad illam absolutissimam *εικόνα* ad  
 amissim adaptetur, quam nobis ore suo  
 ipsemet Filius Dei, & illius postea Aposto-  
 li perfectissimè suis scriptis expresserunt.  
 Sed hac de re plenius alibi, vt spero, quàm  
 egregiis illis *μαρτύρις*, qui nos vt nimium  
 rigidos istius operis exactores reprehен-  
 dunt, ac præsertim Cassandri scripto sigil-  
 latim respondebitur, vt omnes intelligant  
 nullos magis opus Domini quàm Sama-  
 ritanos istos remorari.

Quoniam autem nonnullos rursus  
 video iis non acquiescentes, quæ de fun-  
 damentalibus, siue præcipuis nostræ reli-  
 gionis capitibus in genere diximus, quæ-  
 nam sint illa rogitare: respondeo, funda-  
 mēta dici quibus positus totum ædificium  
 permaneat: & quibus euerſis superstructa  
 omnia corruant. Illa autem omnia Sym-  
 d. ij.

que sint  
 fundamen-  
 talia fidei  
 Catholicæ  
 capita.

bolo quod Apostolicum vocant summa breuitate & perspicuitate ex verbo Dei fuisse descripta profiteamur, quod adici de calogo & orationi Dominicæ oportet, quorum ille Christianæ vitæ rationem omnem, ista verò rectam inuocationem *κατὰ πρότυπον* ostēdit. Hæc, inquam, est fundamentalis illa, vera, ac perpetua Catholicæ Ecclesiæ nota, nunquam ad finem vsq. seculorum delenda: sed quam tamen oportet ex Prophetis & Apostolicis scriptis vnde desumpta est explicari, vt ab omnibus intelligatur, & pro virili obseruetur.

Quæ doctrinæ Catholicae explicatio in Ecclesia requiratur.

Est autem huius explicationis ratio duplex. Vna rudior omnibus necessaria: altera explicatio longè & vberior, sicuti videmus, Apostolicum Symbolum fuisse aliis postea sanctarum Synodorum symbolis declaratum, vt hæresibus occurreretur & conscientiæ in sana doctrina magis ac magis stabilirentur. Itaque quamuis vt aliquis sit verum Christi membrum, non sit necesse vt *τὸ δῶν* exactissimè intelligat & omnes Theologicarum disputationū decisiones norit: tamen vnumquemque pro suo captu quid credat & cur credat nosse oportet, neque in fidei, quam *Implicitam* vocant

vocant, diabolico figmento acquiescere, sed ad illam rudiorē *κατήχησιν* accedere quoque sacrorum scriptorum enarrationem, cuius quatuor capita proponit Apostolus 2. Tim. 3. nempe Doctrinam, Redargutionem, Correctionem & Consolationem, quæ omnia sunt à diligentibus Pastoribus ac Doctoribus ad credentiū captum publicè & priuatim accommodanda.

Superest vt quantum successioni & ordinationi personarum sit tribuendum ostendamus. Diximus vnicam veram, perpetuam ac necessariam Ecclesiæ Catholicæ notam esse doctrinam à Prophetis quidē *πολυμερῶς ἢ πολυτρόπως* voce primū ac deinceps scriptis traditam: à Christo verò ipso tandem & suo ipsius ore & per Apostolos perfectissimè proditam. Est enim hoc verbum, vt post ipsum Christum ait Petrus, semē illud ex quo Ecclesia Catholica, tum initio mundi emerit, tum ad finem vsque seculorum perdurabit. Atqui semen frustrā est nisi seratur, & huius sationis per hominum ministerium faciendæ rationem, Dominus & sub vetere & sub nouo fœdere præscripsit, inquam, necessario, (alioqui mox desitura

Ordinatio quoque legitimo ministerio caruisse non semel veteram Ecclesiam, etiam Catholicam, ac proinde ad tempus sæpe abruptam fuisse ordinationem illam legitimam ordinationem ac pastorum successionem.



Ecclesiae propagatione) ad consummationem usque seculorum duraturae. Ita sane esto. Ergo, inquires, ordinatio quoque & successio illarum personarum nota etiam est Ecclesiae, vera, perpetua, ac necessaria, cum altera illa, seminis videlicet, nota, penitus cohaerens. Sic nostri aduersarij concludunt, sed falso & inepte. Nam ut illa duo iam a nobis refutata praeteream, quod videlicet de successione personarum, praetermissa doctrinae ipsius Apostolicae successione, garrunt: deinde quod successionem aliam proponunt quam quae ab Apostolis ipsis est inchoata: aut non vident, aut videre se dissimulant, et satisfatio quoque & factores non minus quam semen ad hunc Ecclesiae agrum excolendum requiruntur, non seruari tamen eadem semper vel satisfactionis faciendae, vel eorum ordinandorum quibus haec satisfatio committitur rationem. Et hoc tamen illos, ex Prophetarum praedictionibus, tum ex historiis sacris didicisse oportuit, quod nobis probandum restat. Nunquam igitur, fateor, absque Dei verbo fuit Ecclesia. Sed ostendant nobis isti certum ac perpetuum aliquem fuisse, iisdemque semper



per ordinationis legibus adstrictum sationis illius & personarum illi sationi adhibitarum ordinem, antequàm primùm sibi Dominus primogenitos consecrasset, Exodi cap. 3. 2. & 19. 22. & 24. 5. quorum loco postea Leviticum illud Sacerdotium infinitis penè ritib<sup>9</sup> constitutū est. Numer. 8. 18. Tum demum igitur cœpit certa illa & ordinaria successione & ordinationis ratio, id est, sationis & eorum quibus ipsius sationis procuratio fuit demandata, qua successione & quo ordinandi modo si prius caruit Ecclesia, efficitur illam ordinariam successione & vocationem, neque necessariam, neque perpetuam semper fuisse, quum ante vtramque illam tot seculis steterit visibilis Ecclesia. Iam videamus an Leviticum hoc Sacerdotium absque interruptione ad Christi aduentum vsque steterit. Aaronis certè posterorum propagationem vsque ad ipsius tēpli euerfionem legimus: sed quemadmodum, non abolita Davidis stirpe, regnum tamen Davidis, sicut prædixerat inter cæteros Ezechiel, abruptum fuisse dicimus à Sedechia ad Zorobabelem, à cuius temporibus pro regibus duces,

d.iiij.

ac tandem, Asmonæis potentiam omnem sibi vindicantibus, pro ducibus senatores euaserunt Dauidis posteris, donec tandem istis quoque ab extraneo Herode sublatis, & Iudæa in prouinciam redacta, atque sic demum, ut prædixerat Iacob, sublato à Iuda omni sceptro exortus est ille Dauidis filius in sempiterno throno sessurus: sic Leuiticum omne Sacerdotium non semel interruptum fuisse constat, donec, succedente æterno Melchisedecico Sacerdotio, penitus aboleretur. Etenim ut illas populi sub Iudicibus clades publicas, ac in primis tempus illud quod quinque vltimis hystoriae Iudicum capitibus narratur præmittam, (quibus temporibus ministerium publicum magnopere labefactatum ac penè interdum abolitum fuisse apparet) quis in decem tribuū regno Ecclesiam aliquam veram fuisse à Ieroboami primi ad euerfionem Samariæ temporibus negauerit? Nullam tamen prorsus illic fuisse Leuiticorum Sacerdotij successionem neque ordinationem, apparet ex eo quòd Leui ex decem tribuum regno demigrasse scribitur, & ex illa tristissima Helix querela, quæ ab Apostolo repetitur Rom. II. 2. Nam, quod postea

postea de centum Prophetis in spelunca  
 occultatis refertur, 1. Reg. 18. 13. ordina-  
 rium illic ministerium vllum fuisse non e-  
 nuncit. Excipiunt aduersarij, pios Israelitas  
 adiisse Ierosolymam, ac proinde ad Leui-  
 ticum Sacerdotium pertinuisse. Esto ve-  
 rò, adierint aliqui: fuit tamen aliqua vera  
 Ecclesia tūc in regno decem tribuum ne-  
 que urbem adiens, neque ordinaria sacri-  
 ficia vsurpans, neq. vllum Leuitici Sacer-  
 dotij vsu retinens. Sed, rursus inquirunt  
 isti, habuerunt tamen collegia Prophetar-  
 um, & conuentus piorū statis etiam die-  
 bus, vt liquet nominatim ex 2. Reg. 4. 23,  
 ac proinde ministerij ordinaria successio  
 ne tunc quidem destiterit. Neque verò ex  
 hoc loco concludo sacrum Ministerium  
 nullum in Israelis regno tunc extitisse,  
 sed hoc vnum colligo, tum in Israelis re-  
 gno prorsus abruptam fuisse Leuitici mi-  
 nisterij, (quod vnicum ordinarium erat)  
 successionem. Nam neque Prophetæ ho-  
 minum ministerio creabantur, neque erat  
 illorum ordo cōtinuus. Excipiunt rursus  
 successionem ordinariam desinere in par-  
 ticularibus Ecclesiis posse, in Catholica ve-  
 rò Ecclesia, id est vniuersaliter, nequaquā:

quum tunc quoque steterit templum in regno Iuda. Ego verò præterquam quòd possum excipere ex prophetarum testimonio, Iudam sese ita tunc gessisse nò tantum in moribus, sed etiam in ipso diuino cultu, vt ipsum Israellem iustificauerit, & templum etiam Domini clausum fuisse sub Manasse, postquam fuisset Prophetarum sanguine cruentatum, & horrendam illam Idolomaniam Ezechieli in visione demonstratã: duo præterea excipio: Vnum, si Ecclesia aliqua particularis absque successione & ordinationis ordinariæ nota potest Ecclesiæ Catholicæ membrum esse, effici necessariò, notas illas non esse proprium illud quarto modo, vt Dialectici loquuntur, nempe quod vni speciei, & singulis indiuiduis semper conueniat, de quo nunc quaerimus, ac sanè meritò quaerimus, quum tota vis definitionis propriè in differentia notionis consistat. Alterum, si (quod antea demonstraui) Catholicæ Ecclesiæ pars aliqua carere ad tempus illa successione & ordinatione ordinaria potest, consequi particularibus singulis Ecclesiis id euenire posse. Cur enim huic potius quam illi? Atqui vbi hoc euenierit, in quo



quo tandem vniuerso inueneris, quod in  
 lingulis ipsius partibus desideres? Sed ne  
 isti rursus clamitent, non tamen euenisse  
 quod euenire potuit, progrediamur lō-  
 gius, & quæ fuerit Catholicæ Ecclesiæ sub  
 Babylonica captiuitate conditio conside-  
 remus. Vllum tunc certè fuisse Leuiticum  
 Ministerium ordinarium isti nunquam  
 euincunt. Nam Susannæ *de eam* refelli-  
 tur ex verâ Danielis historia, vt vel fabu-  
 losa vel merè allegorica sit narratio, q̄  
 admodum & Iudithæ libellus. Et, vt E-  
 zechiel fuerit Prophetæ munere alicubi  
 interdum defunctus, vt ex eius Prophetiis  
 liquet, ex eo tamen Leuiticum Sacerdo-  
 tium interruptum non fuisse nequaquam  
 probabitur. Atqui, inquires, tunc mansit  
 Circuncisio. Concedo. Fuit enim hoc sin-  
 gulare Dei beneficium, sicuti patrum &  
 nostra memoria Satan facere non potuit  
 quin Baptismi tessera remaneret. Sed ea-  
 dem Circuncisio temporibus oberratio-  
 nis in deserto, annis illis quadragin-  
 ta, non fuit vsurpata, vbi tamen Ca-  
 tholica Ecclesia si non fuit, nusquam  
 fuit. Carere igitur ad tempus Eccle-  
 sia aliquibus Sacramentis quum possit,

ne ista quidem Ministerij publici pars est absolute perpetua & necessaria Ecclesiae nota, quod de verbi tamen ipsius femine dici non potest. Aliud enim est ipsum foederis diploma quàm sigillum ipsi diplomati appensum: vt isto quidem carere ad rebus multis obiectis impedimētis possit Ecclesia, illo verò nequaquam: quamuis qui illud contemnat, vtrumque aspernetur, ac proinde meritò foederis expers iudicetur.

Quid ergo? nempe neque femine verbi, neque satione, neque satoribus carere vquam potest Ecclesia, sed & sationem & satores quominus ad ordinariam sationem & vocationem restringere possimus, prohibet in primis Pastorum segnitates & improbitas. Hoc autem duobus modis accidit. Vno, quum vacuè quidem non sunt cathedrae, sed qui in eis sedēt, siue per ostium, siue per fenestram sint ingressi, aut suum officium prorsus negligunt, aut zizania semini permiscunt, aut nihil praeter venenum spargunt: qualis Ecclesiae veteris Catholicae sub plerisque Iudicum interregnis, & postea in Iuda sub plerisque regibus, ac tandem Christi in terris versantibus

tis temporibus conditio fuit: altero, quum ordinaria illa, tum satio, tum ordinaria satiorum vocatio, ad tempus quasi inter mortua definit: ( nam prorsus hæc aboleri ante consummationem seculorum non posse agnoscimus ) qualem fuisse diximus Ecclesiæ decem tribuū, & Catholicæ Ecclesiæ in Babylonica captiuitate faciem. Dico igitur interdū accidisse in Ecclesia, iusto Dei iudicio, quod ad sationem & ad satiores attinet, illud ipsum quod famis & belli temporibus non semel euenit, nempe vt sationi nullus prorsus locus relinquatur: quod quum incidit, non omnes tamen moriuntur, sed qui supersunt famelici congestis ex superiorum annorū messe frugibus sustentantur, quemadmodum olim Iosephi temporibus Ægyptij nihil nisi septimo ipso famis anno videntur fuisse. Sic Danielē, Ezechielem, Zorobabelem, Ezram, Nehemiam, & piorum reliquias oportuit in Babylone, quum ordinarium ministerium deesset, sibi ipsis prophetas esse, ac pastores, assidua sacrarum scripturarum lectione ac meditatione cū precibus ardentissimis coniuncta, sicut in illa historia factum legimus: nisi dicere

malimus Moſen & alios Prophetas quorum tunc ſcripta extabant, quamuis iam pridem mortuos, tamen illorum in hoc exilio paſtores extiſſe, tantisper dum Sionis ſuo tempore Dominus miſereretur.

Notam  
ſucceſſio-  
nis, & voca-  
tionis ordi-  
narię, non  
aboleri  
quouis in-  
teruenien-  
te vitio.

Sed inter iſtas Eccleſię labefactationes multum tamen intereſt. Nam ubi paſtores officium duntaxat negligenter faciunt, aut in moribus tantum peccant, manet tamen adhuc ſalua ordinaria & aſpectabilis Eccleſię nota duplex, nempe & ſeminis & ſationis, atque etiam ordinationis, ſi modò Paſtores iſti quamuis negligentes, tamen legitime vocentur. Quod ſi duntaxat fermentum aliquod admifcent, cauendum quidem fermentum, ſed nihilominus audiendi ſunt quatenus ſuper cathedram non Petri, ſed Chriſti ſedent: nec propterea iſtiusmodi cõtus in Catholica Eccleſia cenſeri deſinit, aut Catholica Eccleſia viſibilis nuſquam eſt, etiam ſi forte nulli alij Paſtores niſi negligentes, moribus corrupti, & fermentum aliquod admifcentes in vniuerſo terrarum orbe inueniantur. Tales erant temporibus Chriſti Pharifæi, & Sadducæi, & legis doctores, quo-



quorum fermentum docet fugiendum, quos tamen audiri iubet super cathedram Moſis ſedentes. Sed hic locus fortaſſe non eſt à quibuſuis ſatis diligenter animaduerſus. Obſervandum enim eſt ex aliis locis, ſcripta Moſis & Prophetarum fuiſſe in Synagogis ſeorſum recitata, quod & ſectiones etiamnum hodie in Hebraicis Bibliis certa ſerie annotatæ demonſtrant. Huic autem puræ ac ſynceræ recitationi ſubiungebatur interpretatio fermenti plena, cuiuſmodi ſunt illa, quæ apud Matthæum præſertim, à Chriſto copioſè refutantur. Itaque quod ex pulpito ſyncerè de more in Synagogis ex Moſe & Prophetis recitabatur, audiri iubet Chriſtus, fermentum verò quo puritatem doctrinæ inficiebant vitari. Sic externum illum cultum in templo diligenter abſque idololatria fuiſſe Chriſti temporibus vſurpatum, dubium non eſt, quem etiam pij homines diligenter obierint: quantum rectus ſacrificiorum & totius legis vſus à Phariſæis iuſtitiariis, & à Sadducæis, qui reſurrectionem, id eſt, præcipuum ſacrificiorum finem negabant, prorsus deſtrueretur. Qualis tum quoque fuerit

pontificatus nundinatio contra legis pre-  
scriptum ex historiis liquet. Sed vitiū istud  
personale in tanta rerum perturbatione  
ipsa Sacerdotij acta non à Sacerdote, sed à  
diuina sanctione dependentia non abole-  
bat. Quidam enim medium est inter me-  
rè priuatos & legitimè vocatos: quum vi-  
delicet aliqui, aut ignorantia, aut conui-  
uentia locum legitimè vocatorum occu-  
pantes tolerantur, & eorum nomine pu-  
blicum aliquid agunt, sicut de Barbario  
quodam Philippo in Romano iure sanc-  
tum legitur, qua de re alibi plenius dixi-  
mus. Itaque Ecclesia quidem in Pharisaï-  
mo & Saduceïsmo suam seminis Diuini &  
aliquatenus etiam fationis notam, licet  
veluti obsoletam, retinuit, quamuis neque  
Pharisaïsmus, neque Saduceïsmus esset Ec-

In Roma  
na, qualis  
tam pridē  
est, Eccle-  
sia, non ali-  
quatenus  
viciatę sed  
penitus ab-  
rogatę sūt  
verę Ca-  
tholicę Ec-  
clesiæ no-  
tę omnes:  
sicut ab  
Apostolis  
predicatum  
fuit.

clesiæ syncerę pars.

Sed quoties ex professio euerfa prorsus  
est veritatis cathedra, neque hinc quidem  
panis syncerus, inde verò fermētū aliquid  
sic proponitur, vt illum quidem accipere,  
istud verò repudiare possis, sed venena e-  
tiam inuitis propinantur: quis aut horum  
luporum, aut eorum qui eos sequuntur  
coetum pro vera Ecclesia, siue Catholica,  
siue

siue particulari habuerit? Talem autē paulatim euasisse Papismum, id est, Romanam quam hodie vocant Ecclesiam, affirmo, iis videlicet impletis quæ tū Paulus 1. Thess. 2, tum Ioannes in imaginis bestię descriptione tot iam antè seculis velut ob oculos spectanda proposuerunt: & veteres tū Græci, tum Latini interpretes, Irenæus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Beda & Cusanus ipse Cardinalis de Romana sede sunt interpretati. Quænam etenim ex tribus illis Ecclesiæ Catholicę notis, (quarum vnã duntaxat immotam esse ac perpetuam, alteras duas interrumpi interdum ostendimus) in Papistica Ecclesia superest? Nam vt de illa verè propria, perpetua & absolutè necessaria, id est, sacro verbo scripto primùm dicamus, quū illud non nisi frustulatim discerptum, & quidem peregrina lingua ibi proponatur, eò vsque etiam progressa istorum impudentia, vt neque in vulgaria idiomata illud conuerti, neque barbaram & multis locis falsam Bibliorum Latinam interpretationem ex Hebræo & Græco sermone emendari sustineant, ecquis, nisi iusto Dei iudicio excæcatus, istos Catholicam Ec-

clesiam esse, in qua vna sit salus, ac non potius Babylonem illam esse censuerit, ex qua sit omnibus qui perire nolunt discedendum? Imò (inquiunt ex iis nonnulli) Prophetica & Apostolica scripta non modò recipimus, sed etiam veneramus, & quidem auctiora quàm vos recipiatis. Addunt enim, propter vnùm & alterum locum, apocryphos etiam libros. Quasi verò codices habere gemmis & auro exornatos, chartas in idola transformatas adorare, frustulatim discerptas particulas peregrina lingua cantillare, aut ex collo suspendere, aut magicis quoque incantationibus adhibere, idem sit atque Prophetica & Apostolica scripta docere, ex istis totum diuinum cultum procurare, vniuersam denique vitam instituere. At enim, inquiunt, conciones, & Doctorum quoque prælectiones, & denique parochialia, quæ vocant, monita singulis dominicis diebus habemus. Habetis profectò, sed quando, quales, à quibus, & quorsum habentur? Vt autem paucis omnia comprehendam, quum tres sint corruptionum sacrarum tabularum modi, Vnus, quum aliquid illis detrahatur: alter, quum



quum iis aliquid adiicitur: tertius, quum in iis quippiam immutatur, totidem falsi speciebus istos reos peragi quis tandem non videt? Ut à Lege incipiam, Verbum illud ipsorum *ἀγγελον* quod volunt esse potissimam diuini cultus partem, & ius illud legum conscientis ferendarum quod sibi arrogat, quo nomine appellabimus? Secundum autem præceptum annon prorsus absque vilo pudore expunxerunt, vt idolomanie genus omne, immutatis tantum veterum nominibus, palam & aperte instaurarent? Christianorum conscientias miseras nonne non modò nouis & re pugnantibus ex diametro traditionibus obruerunt, eoque prætextu non tantum viduarum domos, vt olim Pharisei, exhauserunt, sed etiam imperia & regna deuorauerunt? Legis denique totius finem & vsum à fundamentis ipsis annon euertuerunt? In Euangelio verò, (altera eaque potissima diuini verbi parte) quid integrum reliquerunt? Primum qualem nobis Christum proponunt? Incorporeo corpore nunc quidem certè præditum. num vt qui sit nobis factus à Deo sapientia? scilicet, quatenus naturalem nostram lucem

adiuuat. Num vt iustitiã nostram in solidum? nempe quatenus hoc nobis partim à nobis ipsis partim à gratia præparatis tribuitur, vt nostræ iustitiæ meritis æternæ vitæ merces ex condigno adscribatur. Quid si verò nostra ipsorum merita sufficiant? nēpe adiicientur nobis, sed æretio pretio ab ipsis institutoribus comparata, certorum quorundam sanctorum merita, quorum thesaurus ne nunc quidem sit exhaustus. & quorum sanctorum obsecro? quos scilicet ipsi Romani pontifices in album suum retulerint, & quos vnusquisq; sibi patronos & intercessores delegerit. Num verò Christum vt sanctificationem nostram proponunt? nempe rursum quatenus naturalis nostræ sanctitatis reliquias adauget. Num vt vnicam redemptionem nostram? verbo id quidem, re verò ipsa nihil minus. Nam pœnæ satisfactionem excipiunt, quo posito Deum ipsum iniustum faciunt. Quid enim iniquius quàm ab eo qui in culpa non sit pœnas satisfactionis exigere? & quorsum Dominus pœcata nostra super lignum tulit? quorsum super eum castigatio nostra? Iam verò quum ad satisfactiones illas ventum est, an non  
illi

isti Deum & homines manifestissimè irri-  
 dent, quum in aquæ incantatæ aspersione  
 cera, sputo, oleo, signo crucis, ciborū de-  
 lectu, certarum precum etiam non intel-  
 lectarum demurmuratione, imaginariorū  
 plerūque sanctorum suffragiis, statuarum  
 adoratione, campanarum pulsu, certo ve-  
 stitus etiam post mortē genere: quid am-  
 plius? (O scelus omnium quæ à quoquam  
 sunt vnquam patrata teterrimum!) in ipsa  
 reali Christi ipsius pro viuis & mortuis  
 tanto efficaciore quāto sæpius iterata fue-  
 rit oblatione, id est, aperta ac manifesta o-  
 blationis semel pro nobis factę conculca-  
 tione, satisfactionem pro peccatorum pœ-  
 na, nobis tum viuis, tum mortuis, in illo  
 suo purgatorio igne vstulatis, ab ipsis emē-  
 dam docent? Quale igitur istud Euange-  
 lium? & qualis iste est Romani Papisimi  
 Christus? Quis etiam illos ex Verbi diuini  
 collatione non intelligit sua operis ope-  
 rati doctrina, præter veritatem corporis  
 Christi, ascensionis eiusdem in cælum, &  
 descensionis è cælo dogma, omnem Sacra-  
 mentorum vsum euertisse? transubstan-  
 tiationis dogmate definitionē Sacramen-  
 ti destruxisse? Baptismi ceremoniam infi-



nitis fordibus conspurcasse? Cœnæ Domini alteram primùm speciem sustulisse, deinde plusquàm abominando scelere, sacramento in detestandum illud sacrificium expiatorium transmutato, omnem illam sacram actionem funditus sustulisse, ac proinde noui Testamenti pactionis sigillũ apertè reuulsisse? nouis denique quotquot libuit fabricatis falsissimis sacramentis sibi vnius legislatoris nostri Iesu Christi potestatem arrogasse? Quam ergo diuini verbi partem isti non corruperunt, vel potius nõ abrogarunt? Vbi igitur illa Ecclesiæ Catholicæ vnica, vera, perpetua, necessaria nota? Vbi semen illud, quo sublato tolli quoque Ecclesiæ in terris propagatione necesse est? Quod si de Ecclesiastica administratione quæritur, vt paulò plenius hac de re disseram quàm antea, quid, obsecro, præter imaginem illam bestię in Clero Papistico inuenias? Annon iste Pontifex maximus alteri Romano pontifici maximo successit? quid dico? annon occupata tandem & aliquot iam seculis infessa Roma, Imperatoris ipsius Romani nomẽ ac potestatem omnẽ sibi Romanus ille Papa arripuit? Etenim quæ supersunt non tam Imperij



Imperij Romani quàm Germanici regni reliquæ, quid aliud sunt iam pridè, quàm inane nomen, non modò quòd istius be-  
stia pedes vltro nunc ipsi Imperatores a-  
doret, sed etiam quòd ex suo pseudoclero  
ne vnum quidem esse patiatur, cuiquam  
seculari, quam vocant, potestati obnoxii?  
Imò quis istum perditum non videt ne  
hoc quidem tanto scelere contentum, il-  
lum ipsum esse quem Paulus, euerso impe-  
rio Romano, in Dei templo sessurum, &  
supra omne numen sese sublaturum prædi-  
xit? Annon enim hic est qui se à nemine  
ac ne ab angelis quidem iudicandū palam  
testatur? qui dato pretio cælū vel inferos  
sefe aperire gloriatur? qui, pro arbitrio, di-  
uinas omnes & humanas leges apertè vio-  
lat? qui sancitas ab ipsa natura leges (quod  
facinus prophana etiā olim Romæ ciuitas,  
imperante Claudio exhorruit) non semel  
paucis etiā his annis reffixit? qui eos ipsos  
canonas, quorū nomē territare imperitos  
cōsuevit, vel terūcio addicit? Purpurati au-  
tē illi Cardinales quid aliud sunt quàm Ro-  
mani Senatus, nō illius veteris, sed impera-  
torib. seruiētis, & tyrānidē cū illo partiētis  
imago? Illā verò *δοκίμοσων* distributionē,

quis tam est imperitus rerū Romanarum  
 (quod etiam ipsi Romani Pontifices & iis  
 addicti scriptores testantur) vt Romani e-  
 uerſi imperij ſimulachrum eſſe non ani-  
 maduertat? Aliarum autem functionum  
 eccleſiaſticarum, ita vt ſunt à Chriſto per  
 Apoſtolos cōſtitutæ, quid apud illos præ-  
 ter inaniffima nomina ſuperest? Nam  
 Episcopatus qui initio, teſte quoque Hie-  
 ronymo, id eſt florēte Eccleſia, nihil aliud  
 quàm preſbyterium fuit, in illos quos di-  
 ximus dignitatum, &, vt ipſi loquuntur,  
 prælaturarum fumos, quum ſtatim poſt  
 Apoſtolorum ſeculum diſſolui cœpiſſet,  
 iam pridē apud iſtos totus euanuit. Quid  
 autem apud illos eſt preſbyterū eſſe? num  
 gregi alicui paſcendo, num morum inſpe-  
 ctioni & cenſuris Eccleſiaſticis præfici: mi-  
 nimè verò, ſed Chriſti rurius offerendi ius  
 obtinere. Quid Diaconum eſſe? num Ec-  
 cleſiæ bona procurare? Miniſtris & paupe-  
 ribus ritè diſpensare? rationes accepti &  
 expenſi referre? Apage. Nam hoc vnicum  
 eſt potius, excepta rationum relatione, to-  
 tius Paſtici cleri, & ipſius in primis Pa-  
 pæ, præcipuum ac omnibus commune mu-  
 nus: ita quidem ſollicitè vel auarè potius  
 adm-

administratum, vt ex ipsis etiam ante multos annos mortuis grauiſſimum tributum exigant, viuis autem ne tantillum quidem gratuito largiantur. Itaque nullus apud illos Episcopus ſiue presbyter Apoſtolicus, & Diaconus ne vnus quidem. Et tamen hi ſunt qui ſucceſſionem Apoſtolorum nobis obiciunt. Quod ſi vel vnus ille vetus Canon, toties in vetuſtis Synodis iteratus, & verbo Dei prorfus conſentaneus, valeret, quo irrita eſſe prorfus ordinatio cenſetur, in qua pretium interueniat, (vt præcipuas iuſtæ vocationis Eccleſiaſticae partes, examen videlicet, & cum totius Eccleſiæ libero conſenſu coniunctam electionem, ab ipsis penitus, ſi rem ipſam ſpectes, abolitas præteream) quænam ordinationis Apoſtolicæ nota apud illos comperitur? niſi fortè volunt ordinem à Apoſtolis inſtitutum ludibrio habere, idem eſſe, atque illum per manus traditum diligenter cuſtodire: & ex nuda inſculpta imagine, ac non potius ex ipſa materia probos nummos ab adulterinis eſſe diſtinguendos contendant, præſertim quoties eandem vtrique imaginem præferunt.

In ſumma igitur quænam eſt Catholica



ista Ecclesia, in qua pro vero Christo fallif-  
simū idolum, saltem quod ad officium at-  
tinet: pro Verbo diuino puro, partim hu-  
manæ, partim verò diabolicæ traditiones:  
pro successione & ordinatione Apostoli-  
ca, manifestissima, & ipsi penè Satanæ de-  
testabilis animarum Christi sanguine re-  
demptarum nundinatio tam impudenter  
obtinere, vt in ista quidem inquirere nefas  
esse velint, quin læsæ maiestatis, tum diui-  
næ, tum humanæ criminis, indicta causa,  
homines damnent: ista verò si concedas,  
nihil sit tam impium, tam blasphemū, tam  
cogitatu horrendum, quod sentire, dice-  
re, scribere per ipsos non liceat?

Noltras  
Ecclesias  
habere ve-  
ras omnes  
Ecclesiæ  
Catholicæ  
notas, ac  
primū  
quidē, pu-  
rū purum  
Dei ver-  
bum.

Sed (inquierit isti) etiam si nihil minus  
essemus quam quod videri volumus, num  
consequitur vestris Ecclesiis conuenire  
Ecclesiæ Catholicæ nomen, quod nobis  
adimitis? Nequaquam. Itaque ex re ipsa  
iudicium fieri frustrà iam pridem postu-  
lamus. Nos igitur tres Ecclesiæ Catholi-  
cæ notas, verbi nimirum scripti semen, &  
restitutam à nobis rectam ac legitimam  
Ecclesiasticam vocationem ac successio-  
nem, penes nos esse asserimus. Hæc illi  
fortiter negant. Controuersia paucis de-  
cidi



eidi non potest, neque id ego nunc mo-  
 lior. Sed quod probandum susceperam  
 spero à me factum, nempe falsas & adulte-  
 rinas Ecclesiæ notas refutatas, veras au-  
 tem demonstratas. Aliud enim est de iis no-  
 tis, quænam sint, quàm penes quos sint di-  
 sceptrare. Quia tamen paucis quàm illæ a-  
 pud illos non sint ostendi, hoc mihi quo-  
 que dicere nunc liceat, duas saltem graui-  
 simas coniecturas pro nobis cõtra illos fa-  
 cere: nempe quòd in dogmatibus diudi-  
 candis in vnico verbo Dei scripto, id est,  
 Prophetiis & Apostolicis scriptis acqui-  
 escimus: quòd eius interpretationem ex  
 vnica locorũ collatione & articulorũ fidei  
 analogia peti postulamus, nec tamẽ vllius  
 seu veteris, seu recentioris scripta repu-  
 diamus, modò ad eandem illam normam,  
 nempe ad Dei verbum & analogiam fidei  
 exigantur. Quid illi verò tam æquis postu-  
 latis opponant, satis constat.

In successione verò & ordinationis ar-  
 gumento paucis abhinc annis putarunt se  
 certiore nostri oppugnandi rationem  
 inuenisse. Quærunt enim magno super-  
 cilio vt ostendamus quibus successerint  
 qui nostra memoria Ecclesias nostras

Nostras  
 Ecclesias  
 veram ha-  
 bere Apo-  
 stolicã suc-  
 cessionem.

constituerunt, quasi nos non magis quam Donatistę monstrare originem possimus. Respondemus, doctrinam quam tuemur, ab Apostolicis vsque temporibus, quantumuis inualefcentibus hæresibus, & Romanis ac aliis ab ista meretrice inebriatis pseudepiscopis, illam per aliquot secula quibuscunque modis licuit conspurcanti- bus, tamen ad nostra vsque tempora per- stitisse, & ad finem vsque seculorum per- seueraturam: ab annis autem circiter du- centis, cœpisse hanc Euangelij lucem ex latebris in quas illam isti detruferant, sin- gulari Dei beneficio rursus in Occidente ex Papistico luto emergere, donec repositis quæ ablata fuerant candelabris, electi populi ad eam hinc & inde confluerent. Ad sacri verò Ministerij successionē quod attinet, dicimus mysterium illud iniqui- tatis quod suo iam tempore cœptum fuis- se testatur Apostolus, non nisi successu temporis peractum, ac proinde Roma- nam illam veterem Ecclesiam non nisi pau- latim ex Apostolica Apostaticam euasisse: neque alias Ecclesias, sicut ex historiis ap- paret, statim à fundamento desciuisse, sed tum demum quum in illa quidem pseud- episco-

piscopus & perditionis filius, sese vniuersale caput Ecclesiæ vocans, tandem sese supra ipsum numen sustulit: in aliis autem regionibus ab ista meretrice fascinati Reges ac Principes, adeoque ipsi Pastores, sese ad Antichristi pedes summisere. Id autem quando & quibus gradibus & artibus sit effectum non aliunde melius quam ex ipsa Pontificum vita ab idoneis scriptoribus explicata non modò cognosci, sed etiam ipsis penè oculis perspici potest: ita congruentibus euentis cum Apostolicis prædictionibus, & eruditorum, tum veterum, tum etiam quorundam recentiorum explanationibus, quos ne aduersarij quidem nostri reiicere audeant, vt quod de suo misterio dixit olim Apostolus, iis demum testum fuisse suum Euangelium qui perirent & quos Deus huius seculi excæcasset ne illis irradiaret lumen Euangelij gloriæ Christi, id verissimè nunc nobis de ista perdita Antichristiana colluue nomen Ecclesiæ Catholicæ emētita testari liceat. Itaque antecessores post Apostolos habemus illos ipsos orthodoxos, non tantum Romanæ Ecclesiæ, sed aliarum etiã Ecclesiarum Pastores, quorum successionem ab



istis Lupis & Tyrannis abruptam, nos Dei gratia tandem instaurare cœpimus: tantum abest vt vel nos legitimo successione argumento destituamur, vel illi successionem vllam Apostolicā proferre possint.

Ecclesiā  
Catholicā  
fuisse & a-  
liquatenus  
adhuc esse  
in Papatu,  
quamuis  
Papatus  
nō sit Ec-  
clesia Ca-  
tholica, ne-  
que illius  
pars.

Ergo, inquit, vbi ante annos circiter ducentos erat Ecclesia illa Catholica visibilis? Respondet pro nobis Christus ipse, tum fuisse & adhuc esse aliquatenus in sceleratorum colonorum manibus, qui & ipsi missos Domini seruos, atque adeo filiū ipsum, quantum in ipsis fuit, rursus extra vineam eiectū trucidarūt: & eius loco verbo quidem Christum, quo populos ludificantur, re ipsa verò sceleratissimū quemcunque ex suis nancisci potuerunt & posunt substituerunt. Sed benè est, quòd neque re ipsa eiici rursus æternus illius vineæ custos, neque rursus trucidari potuit qui Deo viuit, & nunc rursū apparens illā vineā cœpit bonis ac fideis colonis elocare. Respondet etiā nostro nomine Paulus prædicens quod impletum cernimus: nempe usurpaturū fuisse sibi templū Domini perditum illum, donec eū rursus Dominus retegeret. Respōdet etiam Ioannes mulierē illam puerum recens enixam cum puero suo



suo aduersus Draconem Regū ac Principum potentia fretū in solitudine delituisse, & urbem illam sanctam interea, non ad exiguum momentū, sed mensibus quadraginta duobus, siue diebus mille ducentis sexaginta, permāsisse. Ac nos quidem calculum istorum dierum subtilioribus relinquimus, rem ipsam duntaxat vrgemus. Itaque, vt apertius loquamur, dicimus tantisper dum magnus ille Michael apparet, verbi sui gladio quem fidis seruis suis rursus commisit, siue oris sui spiritu, Draconem illum paulatim conficiens, Ecclesiam Catholicam (id est, quantumuis exiguum numerum veri Christi tum personarum tum officium retinentium) in Babylonis Romanæ sordibus, perditō illo cum suis angelis sedem ministerij vsurpante, & meretrice septem suis montibus insidente & mundum inebriante, delituisse.

Sed, inquit, visibilem semper esse hanc veram Ecclesiam oportuit. Ad hoc verò si respondero, visibilem quidem semper fuisse & futuram Ecclesiam veram quatenus ex veris visibilibus membris constat, neque inanis est chimæra: & quatenus etiam notas externas & conspicuas habet: non

Quo se-  
su Ecclesia  
vera dica-  
tur visibi-  
lis.

autem quasi semper ita conueniant verā religionem sectantes, vt & qui sint & vbi sint digito quiuis commonstrare possit, dixero certè quod res est, & quod est à me paulo ante rationibus & exemplis demonstratum. Sed ne hūc quidem refugio. Dico enim, memoria ab ipsis vsque Apostolis repetita qui hunc perditum & totam ipsi pseudecclesiam veluti digito commōstrant, seculum vix vllū fuisse in quo simul atque Antichristus iste caput exerere cepit, aliquos non excitavit Dominus qui se illius tyrannidi opponerent. Istud si negent, sponsonem faciant, sed datis vadib⁹, Ni ex testibus idoneis, & clavis, euidentibus, perspicuis testimoniis ex ipsis eorum archiuis depromptis ita sese rem habere cunctis, nisi vltro cæcutire malint, ostēderimus.

Penes  
hos esse  
veram ma-  
nuum im-  
positionē.

Sed ne sic quidem cohiberi possunt aduersarij quin regerant, quam tandem manuū impositionem proferre possimus eos accepisse à quibus nostra memoria sunt Ecclesiae nostrae constitutae. Sic enim Spēsam Sorbonicum doctorem (à quo postea spissum volumen, calumniarum plenum, editum est his de rebus) aduersum nos declamitare

clamitare memini.

Respondeo primùm quod ille ipse alibi ex Hieronymo aduersus Luciferianos annotauit, quem locum etiam Gratianus in Decretum suum retulit, nempe manuum impositionem post Baptismum ad honorem sacerdotij potiùs quàm ad legis necessitatem pertinere. Sic igitur, inquam, sensit Hieronymus, quem illi inter sanctos suos inuocant. Sed excipient nimirum, illum agere de Impositione manuum Confirmatoria, non Ordinatoria, vt ipsi loqui solent. quod vt ita esse cõcedam, quanuis aliter sensit Spenfa, quid eos ista exceptio inuerit? Nam Confirmationem ipsi non modò inter Sacramenta numerant, sed etiam quum libet ipso Baptismo potiore ducunt. Verùm hoc omittamus. Fatentur ipsi, (nisi à Bernardo dissentire velint, ep. 77. qui tamen & verbo Dei, & Augustini, atque Ambrosij quoque auctoritate nititur) adultos Baptismi contemptu, non priuatione ex Ecclesia expungi. Quidni verò ex impositione manuum ordinaria idem multò magis dixerimus? nisi fortassis illam ad sacrum Ministerium magis requiri dixerint, quàm Baptismũ ad salutem. Con-

Manuum  
impositio  
quatenus  
habita sit  
ad legiti-  
mam voca-  
tionem ne-  
cessaria.



tempfisse verò impositionem manuum, quinam videri possunt magni illi serui Dei, qui nostra memoria, diuino planè impulsu, Ecclesiam ab Antichristi tyrannide asseruerunt, quum nullum habuerint à quo illam legitimè petere aut accipere, vel ex ipsis veteribus Canonibus, potuerint? Antea enim ostendi, & adhuc istud affirmo, in vniuerso Clero Romano, ne vnum quidem inueniri posse, qui legitimam suam ordinationem tueri ex puris & antiquis Canonibus possit. Quid quòd in ipsa quoque purissima Ecclesia, non vique adeò necessariam habitam fuisse manuum impositionem constat? Quis enim, obsecro, manus imposuit Philippo, vt ex Diacono fieret Euangelista? quis illis manus imposuit, qui in dispersione illa prima Hierosolymitana, in scis quoque Apostolis, Euangelium in Samaria tanto cum fructu annuntiarunt? Sed, inquiunt, missi sunt postea Petrus & Iohannes, qui manus illis imponerent. Nempe iis qui crediderant, & baptisati fuerant: at nulla fit eorum mentio, qui prius illis Euangelium prædicarant. Sed ponamus de his quoque istud intelligi. Ratum igitur habuerunt



buerunt Apostoli quod illi, oblata occasione, etiam ante examen, & ante electionem ordinariam fecerant, nedum vt manuum impositionem ordinariam absolute necessariam esse vellent. Quòd si isti sūt Apostolorū successores, quales haberi & dici volunt: cur non accurrerunt etiā ipsi, Apostolorū exemplo, vt piorum hominū zelum saltem approbarent? aut cur saltem Archiepiscopi Coloniensis illius conatum non adiuuerūt, potius quàm illū Antichristo Romano dederent: cuius etiam sceleris præmium Gropperus Cardinalitiū pileū, dignum certè patella operculum, retulit? Nempe, inquit, quoniā hæretici estis. Ergo de doctrina, non de manuum impositione quærat, & vt confido, vicerimus: Sed illa rursus excipient, nascentibus primùm Ecclesiis, licuisse: nunc verò ordine semel cōstituto, idē non licere. Respondeo, fateri me magnā habendam temporum rationem, nec eos tolerandos, qui leges Ecclesiasticas bene positas violent. Sed quid si iustæ ac legitimæ ordinationis leges non à nostris violatas dicam, sed quum ab eis essent sublatae ac deletæ, qui se illius ordinis custodes mentiuntur, studuisse

nostros earum restitutioni ac instaurationi? Hoc enim ita esse ex eo apparet, quòd exceptis ritibus, meritò antiquatis, omnia in verbo Dei, & veteribus puris Canonibus præscripta, ad vnguem in nostris Ecclesiis obseruantur, apud illos apertè negliguntur. Quis autem quum pastores communi cõspiratione in lupos sunt commutati, expectandum dicat ouibus à lupis istiusmodi præsidium: & damnandum qui Prophetarũ exemplo, sese vltro lupis opponat? Prius ergo disceptetur ista controversia, quàm de ordinationis forma quaeratur: & desinant isti pastorum habitum iactare, quum intus sint lupi rapaces. Christus certè non ex manuum impositione, sed ex fructibus, id est, doctrina & moribus, veros pastores à falsis distingui iubet. Quid ad hæc isti bullati pastores?

Miracula necessaria nõ esse probanda vilæ legitimæ vocationi sacra, siue ordinaria, siue extraordinaria.

Coacti extraordinarias vocationes non semel & sine exceptione damnare, confugiunt ad Miracula, quæ volunt necessariò ad vocationem extraordinariam requiri. Sed si quis eos iubeat proferre ex quo tandem Scripturæ loco regulam istam depromperint: tum illos vel obmutescere tanquam pisces, vel extremam impudens

prudenciam proderet necesse est. Primum autem constat miraculorum donum, fuisse semper arbitrarium, id est, in vnius Dei manu positum, qui certis temporibus & personis illud est largitus: itaq. in nullam regulam cadit. Deinde, quum non modò Christus prædixerit, sed etiam historiae veteres ac recentes testentur hoc donum esse tum veris, tum falsis prophetis commune, cuius fuerit dementiæ ex miraculis falsam missionem à vera discerni velle?

Ergo, inquires, cuius in Ecclesia licebit docere? Nequaquam certè. Quisquis enim ubi ordini locus est, eum aspernatur, hoc ipso testatur se à Deo non esse, ac proinde audiendum non esse. Itaque meritò sunt hac ratione damnati Donatistæ verè schismatici: quoniam etiam si verissimū fuisset quod Cæciliano obiiciebant, non erat tamen propterea Ecclesiæ violandus ordo: & intolerabiles erant, quum ex aliquarum Ecclesiarum defectione, vniuersum orbem apostatasse clamitarent. Sed ubi *à Cæcilia* vniuersalis grassatur ordinis specie, nec ab istius mali auctoribus remedium expectari potest, tū sanè, sicut exorto in vrbe incendio, cessantibus, aut vrbem ipsam incen-

Vnde falsè vocati ones propriè discernendæ sint.



dentibus iis quos ex institutis vrbis oportuit ad illud restinguendum incendium accurrere; cuiusvis boni ciuis est extra ordinem aquam deferre, & flammis iniicere: ita in hoc longè periculosiore templi Domini incendio cuiusvis est pij hominis pro virili sese illi malo opponere: & pij Magistratus procurare, vt legitimus ordo instauretur. Sic olim Prophetæ, sic pij reges Ezechias & Iosias factitarunt: & nisi verè Christiani Imperatores, grassantibus hæresibus auctoritatem suam interposuissent, nulli magis Ecclesiam pessundedissent (sicut tandem factū videmus) quàm qui præcipuas sedes regebant. Quod si nihilominus extraordinaria vocatio nulla, Synodorum illarum veterum temporibus, extitit: nempe id contigit, quòd ordo legitimus tunc in Ecclesia non esset prorsus abolitus, vt ab aliquot iam seculis per Pseudepiscopi Romani tyrannidē factum fuisse liquet, nulla ne tenuissima quidē vmbra præcipuarū Ecclesiasticæ vocationis partiū, nèpe examinis & electionis relicta, & sola post fædissimā nundinationē, histrionica manu impositione, ad fallēdum vulgus vsurpata.

Verum, vt ista non valeant, quæ tamen



firmissima sunt, quid ad nos extraordinaria vocatio? Primos enim illos Patrum memoria domus Dei instauratores, VViclefium, Hussum Pragensem, Lutherum, Bucerum, OEcolumpadium, Zuinglium, Pellicanum, Hallerum, & alios passim plurimos, constat manuum quoque impositionem, qualemcunque isti requirunt, à suis episcopis ad docendum habuisse, à quibus postea paulatim instauratæ sunt Ecclesiæ, in quibus verã, id est, verbi diuini præscripto cõsentaneã Pastorũ, Doctorũ & Diaconorum vocationẽ restitutã affirmamus.

quidẽ manuum impositionẽ deesse, quã pseu-decclesia Romana falso facit simplicitẽ necessãriam.

Sed hïc rursus inuenisse sibi videntur nostri Ordinarij, in quo nos manifestè coarguant. Negant enim etiamsi istos modò nominauimus, presbyteri fuerunt, propterea nos legitimè ordina-<sup>а. тектос</sup>tos, quũ soli Episcopi presbyteros creent, ne dum vt Episcopi simus. Ego quidẽ illis libenter relinquo totũ istum Episcopatus gradum, cuius apertè dico Spiritum sanctum non fuisse auctorem, sed humanam prædẽtiam, cui nisi animaduertimus Deũ maledixisse, certè nihil ne nunc quidem videmus, & viperam in sinu fouemus, quæ rursus matrem necabit. Sed de hoc aliàs,

Presbyterij esse manuum impositionem, non gradus episcopalis ab hominibus excogitati.

Nunc tantum ex istis quaero unde istud deprompserunt. Scilicet à Canone secundo Apostolico, quem vocant. Atqui Gelasius Papa illos Canones inter apocryphos libros recenset: nempe, opinor, quod ad inscriptionem saltem attinet. Nimium enim sit impudens oportet, qui neget Canones istos non vno seculo editos fuisse: tantum abest vt ridiculum illud figmentum, nescio cui Clementi attributum, & Græcè ac Latinè nuper editum, in quo introducuntur Apostoli sigillatim ista statuentes, à quoquam satis sani capitis homine comprobetur. Sed quorsum ista pluribus? Euangelistas fuisse presbyteris, de quibus agimus, superiores (nam alioqui Petrus Apostolus sese etiam *ovvαπροβύτης* appellat, 1. Pet. 5. 1.) negare isti non audent, vt qui ab Apostolo pastoribus & doctoribus anteponantur, Ephes. 4. 11. Atqui Timotheum non episcopum Epheso vel alij alij cui Ecclesiæ addictum, sed Euangelistam & Pauli Apostoli asseclam, testatur ipse Paulus, manuum impositionem ne ab ipso quidem, sed à presbyterio, id est presbyterorum cœtu, accepisse. Agant igitur non cum Geminiano, vt dicere solent Iuriscon-

sulti,

sulti, sed cum Paulo ipso, qui tyrannidem pseudepiscopalem tueri volunt. Nos legitime ordinatos esse eos demum arbitramur qui præeunte ex Apostolica norma doctrinæ & morum accurata inquisitione, liberæque & sanctæ electione, ex totius Ecclesiæ cui præsunt consensu, Deo solennibus precibus, ipso etiam adhibito, si ita videtur, manuum impositionis ritu, eoque simplici, & nullis traditionibus humanis inquinato, consecrantur.

Conclusio totius tractationis.

Quæ quum ita se habeant, dico frustra proponi à pseud ecclesiæ Romanæ fautoribus, tres illas Ecclesiæ notas, Successionem videlicet merè personalem, & ab Apostolica doctrina seiunctam Vocationem, & Manuum impositionem: tum quod nihil istorum sit per se vera, vel simpliciter necessaria, vel perpetua Ecclesiæ Catholicæ nota: tum quod etiam, si ita esset, nulla tamen prorsus ex iis notis in pseud ecclesiæ Romana, quæ se Catholicam falsissimè vocat, comperiatur. Contrà verò affirmo veram illam veram, necessariam perpetuamque Ecclesiæ Catholicæ notam, doctrinam videlicet Prophetis & Apostolicis scriptis perfectissimè comprehensam,




L 732 - E  
90 DE ECCL. CATH. NOT.  
in nostris Ecclesiis refulgere: veram denique  
personalem sacri veri Ministerij successi-  
onem, vocationem, ordinationem esse  
in iisdem nostris Ecclesiis restitutas: ne-  
que nos Sionem deseruisse, sed ex Babylo-  
ne, sicuti Deus monet, fugisse: neq. Eccle-  
siam scidisse, sed Pauli factum in Ephesina  
Ecclesia secutos, Act. 19. 8. discipulos sepa-  
rasse: neque altare contra altare, exemplo  
Ieroboami aut Donatistarum erexisse, sed  
altari Damasci ex æde Domini eiecto, ve-  
rum diuinum cultum instaurare cœpisse:  
quod etiam opus cōfido, quantumuis per  
suos domi & foris obsistat Satan, tamen  
filio illo perditionis per Spiritum oris Dei  
tandem penitus prostrato, feliciter abso-  
lutum iri.

F I N I S.







Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

